SYNTAGMA RHETORICUM

QUO LITERARUM STUDIOSUS

ARTE ORATORIA

Per ſumma rerum capita inſtituitur.

AUCTORE

JOSEPHO SCAPECCHI

E SOCIETATE JESU


In Collegio Florentino ejusdem Societatis Eloquentiæ Profeſſore.

AD USUM

RHETORICORUM

EJUSDEM COLLEGIJ.






FLORENTIÆ, M.DCC.XIX.

Typis Michaelis Neſtenus ſub Signo Nominis JESU.

SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.




AD TIRONEM.

HAbes, candide Tiro, in hoc Syntagmate quidquid ad Institutionem Rhetoricam pertinet, quoquo modo expeditum: quod te si minùs absolutum, at non planè rudem, & plusquam leviter tinctum efficiat. Hæc nostra scilicet mens, & consilium fuit; Rem omnem Oratoriam per tenues ingenij nostri fortunas ita complecti, ut ne quid rerum majoris momenti ejusdem studiosos falleret; eandemque, cùm latissimè pateat, ita contrahere, ut neque modum excederet, neque manca, quoad ejus fieri potest, deficeret. Quâ quidem in re non eò usque blandimur nobis, ut Propositum assecutos nos arbitremur. Qua-


lecunque demum hoc ſit (quod ex uſu tamen fore confidimus) facili, prolixoque animo accipito.

Bifariam verò Syntagma (hoc eſt Tractatum ordine digeſtum) partimur. Prima Pars universā Rhetoricæ OEconomiam ſub oculos ſtatuit: Altera verò in Peculiaribus quibusdam verſatur. Quæ ſubtiliora viſa ſunt, aut cum materie, quæ agitur, haud ita neceſſariò conjuncta, ſubiectis identidem corollarijs ſejungenda putavimus. Græca vocabula tum ad uberiorem eruditionem, tum etiam in eorum gratiam, qui Græcam Linguam addiſcunt, vel apponimus, vel explicamus.

I, lege, ac perlege. Vale.



SYN-



SYNTAGMA RHETORICUM.

PARS PRIMA.

DE RHETORICA GENERATIM.

PROPYLÆUM, SEU VESTIBULUM OPERIS.



Hetorica definitur *Ars bene dicendi*; ideſt aptè ad perſuadendum. Ars [quæ eſt Genus hujus Definitionis] eſt *Facultas, qua certis conſtat præceptis in unum finem ſpectantibus*; quæ nunquam fallunt: orta verò ſunt ab animadverſione naturæ. Bene autem dicere [quod eſt Differentia Definitionis] eſt, *Optimis ſententijs, verbiſque lectiſſimis dicere*. Finis Rhetoricæ eſt, Perſuadere; quod ſit, Docendo, Delectando, & Movendo. Id verò præſtat Oratio: docet enim Confirmatione, delectat Elocutione, movet Peroratione. Quòd ſi Orator re ipſa non perſuadeat (cùm hoc etiam a libera Auditoris pendeat voluntate) modò proferat ea, quæ ad perſuadendum ſunt apta, Oratoris munus implevit.

EPIMETRON, SIVE APPENDIX.

1. Appellatur *Rhetorica* a Græco vocabulo *Rheo*; quod eſt *Dico*, *Loquor*: Hinc *Rhetor* Eloquentiæ, ſive Artis Oratoriæ Magiſter; *Rhetorici* Eloquentiam Diſcentes; vel Libri de Rhetorica agentes; qui etiam *Rhetorica, orum* declinantur. (Cic. de Fato) *Rhetoricus, a, um*, quod ad Rhetoricam pertinet.

Orator verò, qui aptè dicit ad persuadendum, vel qui causas agit.

2. Differt Rhetorica a *Philologia*; quæ est Eloquentiæ, vel humaniorum literarum studium: hinc *Philologus*, Eloquentiæ, vel humaniorum literarum studiosus. *Polymathia* verò est Multa Erudio, *Polymathes* Multiscius.

3. Differt quoque a *Sophistica* (licet hæc olim pro Rhetorica, & *Sophista* pro Rhetore, & Sapientiæ Professore usurparetur: sic Isocrates inter Sophistas numerabatur) nam hæc pro ea nunc sumitur Dialecticæ parte, quæ fallacias, & cavillationes docet; *Sophista* verò pro Cavillatore, & vano Ostentatore Sapientiæ; *Sophisma* est Argumentum fallax; *Sophisticus*, qui Sophismatis delectatur.

II. Ad Rhetoricam comparandam quatuor sunt necessaria subsidia; *Natura*, *Ars*, *Exercitatio*, *Imitatio*. 1. Natura est *Optima Animi*, *& Corporis Dispositio*; quæ confert ex parte Animi celeres motus ad excogitandum, & reminiscendum [in quo situm Ingenium, quod definitur, a Cic. 5. de finib. *Vis quædam naturalis peracris ad inveniendum, quod ratione iudicari possit*) ex parte verò corporis confert optimam pronunciationem, & actionem. 2. Ars sunt *Præcepta in unum finem tendentia*; ut dictum est. 3. Exercitatio est *Usus legendi*, *scribendi*, *& dicendi*. 4. Imitatio est *Exemplorum probati Auctoris Expressio*: quæ fit, vel retinendo sententiam Auctoris, mutatis verbis; vel eiusdem verba ad aliam sententiam transferendo: vel mutata sententia & verbis eundem ordinem orationis sequendo.

III. Rhetoricæ materia est res omnis, quæ in quæstionem cadere potest. Collige hinc Artis Oratoriæ dignitatem; *Esse videlicet omnium præstantissimam*: cùm Orator callere debeat ceteras Artes liberales, ac Disciplinas; ut omnibus quæstionibus valeat satisfacere.

IV. Quæstio est, *Quæ ex prima Causa conflictione oritur*. e.g. sit intentio Oratoris, Addiscendam esse Rhetoricam; Adversarij verò, Non esse addiscendam: oritur quæstio, *An sit addiscenda*. Et hic vocatur *Status Quæstionis*; quia ibi tota causa stat, & consistit.

V.

V. Quæstio autem duplex est; altera Universalis, & Infinita, gr. *Thesis*; latinè etiam *Propositum*: Peculiaris altera, & Finita, gr. *Hypothesis*, latinè etiam *Causa*, & *Controversia* dicitur. e. g. si quæratur, *Sit ne addiscenda Rhetorica*, Thesis est: si verò, *Sit ne a fœminis addiscenda*, Hypothesis. De Thesi vide Par. II. cap. 1. §. 3.

EPIMETRON.

1. Status triplex est, 1. *Coniecturalis*, h. cùm quærimus, sit nec ne: ut, *sit ne insidiatus Miloni Clodius*: nam ibi coniecturis veritas indagatur. 2. *Definitionis*; cùm quærimus, Quid sit; ut *Fuerit ne Cæsar Dictator, an Tyrannus*. 3. *Qualitatis*; cùm quæritur, Quale sit; an æquum, an iniquum: ut *Iure ne Sororem Horatius interfecerit*. Qui rursus duplex est, 1. *Absolutus*; cum quæritur, an res in se iure sit facta, nulla ratione foris petita: ut, *An Manlius iure filium multaverit*. 2. *Assumptivus*; cùm ad probandum, iure aliquid esse factum; argumentum extrinsecus sumitur: e. g. Milo damnatur, nisi foris assumat, insidias sibi a Clodio esse factas.

2. Attendenda est etiam *Ratio*, *Firmamentum*, & *Iudicatio*. Prima, est, quæ affertur a Reo ad depellendum crimen. Secunda, quod affertur ab Accusatore ad labefactandam Rei rationem. Tertia, quę nascitur ex utriusque conflictu & contentione; sic dicta, quòd ad Iudicium veniat: diciturque etiam *Quæstio*, *Disceptatio*, & *Controversia*.

3. Contentio igitur est, *qua firmamenta causæ efferuntur*: constat autem Propositione, Confutatione & Confirmatione.

4. In Statum Qualitatis quatuor cadunt Controversiarum genera; nempe in Legis, vel Scripti interpretatione. I. cùm Scriptum est ambiguum: e. g. Testamento iubetur: *Aurea statua ponatur hastam tenens*: quæritur, An hasta quoque aurea esse debeat. II. Discrepantia Scripti, & Voluntatis: e.g. Lex est, *Peregrinus si murum ascenderit, capite puniatur*. Hostes ascendunt, Peregrinus depellit: peti-

tur ad ſupplicium. Ille voluntatem, & mentem Scriptoris allegat: ubi quæritur, An plus verba, an Mens Legislatoris valeat. III. Scriptura contraria: e. g: lex eſt: *Fœmina nè ſtatuam habeant*. Lex altera: *Liberatores Patriæ ſtatuam habeant*.. Fœmina Patriam liberat: ſtatuam petit. IV. Ratiocinatio; cùm quæritur, An ubi propria lex non eſt, ſimili utendum ſit: e.g. Lex eſt: *Lanas in urbem introducere non liceat*. Introducit quidam Oves; quæ nominatim non ſunt prohibitæ: quęritur, An comprehendatur in Lege certa id quod incertum, ſed ſimile eſt.

VI. Tria ſunt genera Cauſarum, in quibus Orator verſari poteſt.

1. *Demonſtrativum* [gr. Epidicticon] cuius partes ſunt *Laudatio*, & *Vituperatio*, Finis *Honeſtas*, motus verò *Delectatio*, vel *Deteſtatio*.

2. *Deliberativum* (gr. Symbuleuticon) cuius partes ſunt. *Suaſio*, & *Diſſuaſio*, Finis *Utilitas*; motus *Spes*, vel *Reformidatio*.

3. *Iudiciale* (gr. Dicanicon) cuius partes *Accuſatio*, & *Defenſio*, Finis *Æquitas*; motus *Ira* vel *Lenitas*.

4. Hinc Demonſtrativum reſpicit Tempus *Præteritum*, & *Præſens*; Deliberativum reſpicit Tempus *Futurum*, Iudiciale verò *Præteritum*.

VII. Quinque ſunt partes Eloquentiæ; Inventio, Diſpoſitio; Elocutio, Memoria, Pronunciatio.

Inventio eſt *Excogitatio argumentorum ad faciendam fidem*, ſeu cauſam confirmandam.


Diſpoſitio eſt *Rerum inventarum in ordinem diſtributio*.

Elocutio eſt *Idonea verborum, & ſententiarum ad res inventas accommodatio*.

Memoria eſt *Firma earundem perceptio*.

Pronunciatio eſt *Corporis & vocis appoſita moderatio*.

Jam de his quinque partibus ſingillatim.



CA-

CAPUT I.

Inventio (gr. Eurèma)

I. INventio, ut diximus, est Excogitatio argumentorum. Argumentum. a. est *Probabile Inventum ad faciendam fidem.* Hęc verò Argumenta certis in sedibus, seu fontibus oratorijs, sunt vestiganda: qui Fontes sunt duplicis generis: alterum dicitur *Loci Intrinseci* (gr. Isoterici) sive Insiti; qui videlicet sunt in ipsa re: alterum *Extrinseci* (gr. Exoterici) sive Assumpti, sive Remoti; qui sunt extra rem, & foris omnino assumuntur.

II. *Intrinseci* sunt sedecim; Definitio, Divisio, Notatio nominis, Coniugata, Genus, Forma, Similitudo, Dissimilitudo, Contraria, Adiuncta, Antecedentia, Consequentia, Repugnantia, Causæ, Effecta, Comparatio. Extrinseci sex: Præiudicia, Fama, Tabulæ, Iusiurandum, Tormenta, testes.

LOCI INTRINSECI.

§. I.

Definitio (gr. Horismus.)

I. DEfinitio est *Oratio explicans quid sit res.* Fit autem per Genus, & Differentiam. Est vero duplicis generis; altera strictior, & Essentialis, (ut cum Dialecticis loquar) ut, *Homo est animal rationale*; altera Accidentalis, & fusior, sive Oratoria; fitq; per causas, effecta, adiuncta &c. veriùsq; *Descriptio* appellatur: ex gr. *Homo est excelsum animal, rationis particeps, a summo Opifice ad sui similitudinem conditum, ex Animo, & Corpore compositum, natum ad Immortalitatem, æternaque Beatitudini destinatum.*

II. Hinc, ut probes, Debere Hominem fluxas voluptates de-

despicere, confice argumentum: *Homo est excelsum animal*, &c. *debet igitur* &c. Quæ tamen Argumentatio per Elocutionem est illustranda. Quid sit Argumentatio vide §. 18.

III. Optima est Definiendi ratio, primum per negationem, dicendo, Quid res non sit; deinde per affirmationem, dicendo, quid sit.

IV. Eius usus est, ad docendum, amplificandum, ornandum; præsertim cum conglobantur Definitiones.

Nota. [Oratio brevissimis verbis rem circunscribens, dicitur *Aphorismus*.]

§. *II.*

Divisio (gr. Merismus)

I. DIvisio, seu Partium enumeratio, est *Oratio Totum in suas partes distribuens*. e. g. Virtutem in suas species, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem, &c.

EPIMETRON.

Philosophi multipliciter Totum distinguunt (cuius rei rudem notitiam profuturam puto & Rhetoricis) 1. Totum *Potestativum*; cuiusmodi est Genus, quod dividitur in suas species; e. g. Animal in Hominem, Equum, Leonem &c. 2. Totum *Metaphysicum*; quod dividitur in Genus, & Differentiam; e. g. Homo in Animal, & Rationale. 3. Totum *Physicum*; quod dividitur in partes physicas; e. g. Homo in Animam, & Corpus. 4. Totum *Integrale*; quod dividitur in partes Integrantes; e. g. Corpus in sua membra. 5. Totum *Accidentale*; quod constat partibus per accidens concurrentibus; e. g. Acervus lapidum. Alias verò subtilitates intactas iisdem relinquimus.

II. Per hunc locum ex partibus infertur Totum: e.g. Si omnes partes in Homine sunt sanæ, totus est sanus.

III. Dupliciter autem adhiberi potest hic locus. 1. per Affirmationem; cùm positis omnibus partibus affirmatur Totum. 2. per Negationem; cùm negatis omnibus partibus negatur Totum.

IV.

IV. Cavendum verò, nè pars ulla præcipua omittatur; nè eadem bis repetatur; nè magis una, quàm aliæ amplificentur.

V. Eius usus est ad confirmandum, confutandum, describenbendum, amplificandum.

VI. Vide cap. 3. §. 5. n. 8. de *Distributione*.

§. *III.*

Notatio Nominis, (gr. Etymologia.)

I. NOtatio Nominis est *Oratio vocabuli vim, & significationem inquirens*. Sic Homo dicitur ab *Humo*, Virtus a *Viro*, Consul a *Consulendo*.

II. Hinc ducitur argumentum: e. g. Virtus a Viro nomen est mutuata: nullum igitur virtutis specimen dabit, vitam quisquis molliter in delicijs fœmineo more traducit.

III. Valet ad laudem, & vituperium; & ad acumina, vel facetias. Propterea huc aliqui referunt *Paranomàsian*, & *Anagramma*; (quæ nos reijcimus in cap. 3. §. 4.) tum *Amphiboliàn* (Ambiguum dictum) sive *Homonymìan* [Æquivocationem] ut illa Augusti de eo, qui Patris sepulchrum arabat: *Pius*, inquit, *est*; *Patrem colit*. *Colere* siquidem & Honorare, & Arare significat. Dicitur, & *Antanàclasis* cùm voces differunt Quantitate, & significatione: ut *Liber*, *Aras*, *&c.*

IV. In sacris tamen Paginis Notatio Nominis, propter mysticum sensum, magnam vim habet.

§. *IV.*

Conjugata (gr. Parònyma.)

I. COnjugata sunt, *Quæ ab uno exorta vocabulo variè commutantur*: e. g. Sapiens, Sapienter, Sapientia, Sapere.

II. Confice argumentum. Quis te neget Sapientem esse? Sapientiam amas, Sapienter loqueris, cum Sapientibus versaris.

III. Locus hic valet ad delectationem, propter varietatem orationis: ceterùm sterilis est ad faciendam fidem.

§. V. & VI.

Genus, & Forma (gr. Thesis, & Hypothesis.)

I. Genus est, *Quod plura specie diversa sub se continet.* Talis est *Virtus*; quæ continet Justitiam, Prudentiam, Fortitudinem &c.

II. Argumentum. Virtus super omnia est gloriosa: ergo & Justitia. Omnia domuit vitia; ergo & Iram. Omnes possidet scientias; ergo & Mathematicam.

III. Valet ad docendum, laudandum, vituperandum.

IV. Forma est Species ipsa sub Genere contenta.

V. Argumentum. Prudentia in hoc Facto elucet; ergo Virtus. Avarus est; ergo Vitiosus.

VI. Usus ejus est in laude, & vituperatione.

EPIMETRON.

1. Argumentatio a Genere ad Formam dicitur *Descensus a Thesi ad Hypothesin*; h. ab Universali ad Singulare. Argumentatio verò a Forma ad Genus dicitur *Ascensus ab Hypothesi ad Thesin*; h. a Singulari ad Universale. E. g. Si Castimoniam laudaturus, Virtutis laudationem præmittas, est Descensus: contra, si, ad probandum gloriosam virtutem, omnes virtutes enumeres, est Ascensus.

2. Quod competit Generi, competit Speciei: e. g. Virtus est gloriosa; ergo Justitia est gloriosa. Non valet tamen Argumentum a Genere ad probandam Speciem; e. g. est Virtus; ergo est Justitia: valet tamen ad negandam: Non est Virtus; ergo non est Justitia. Contra non valet a Specie ad negandum Genus: Non est Justitia; ergo non est Virtus: vale tamen ad probandã; Est Justitia; ergo est Virtus.

***
**

§. VII.

§. VII.

Similitudo (gr. Homœòſis, Paramœòſis.)

I. EST *rerum diſparium Collatio, & convenientia in aliqua re*. Sic Hydrops, & Avarus res diverſiſſimæ ſunt; conveniunt tamen, quòd uterque Inſatiabilis eſt.

II. Argumentum. Quemadmodum Ægrotus ſuavitatem cibi non ſentit: ſic Improbus veræ Laudis guſtum non habet.

III. Hinc vides, Similia eſſe (ut ait Ariſt.) *quæ ſibi invicem proportione quadam reſpondent*.

EPIMETRON.

1. Duplex eſt Similitudo, *Simplex*, & *Compoſita*. 1. cùm res una confertur cum alia. 2. cùm conglobantur Similitudines.
2. Adhibetur interdum Similitudo, non tam ad probationem, quàm ad ornatum: tametſi ſemper aliquam probandi vim continet.
3. Non eſt crebriùs uſurpanda; quia imagines confundit.
4. Nec in re exigua Similitudo ſublimis, & vice verſa, adhibenda.
5. Cùm formæ perfectè ſimiles conferuntur, dicitur *Icon* [h. Imago]
6. Similitudo, & Comparatio differunt; quòd prima verſetur in Qualitate, ſecunda in Quantitate.
7. Similitudo, & Metaphora, ſive Allegoria differunt, quòd in illis nulla adhibetur Particula media; hæc verò exprimitur per parriculas *Sicut Quemadmodum, &c.*
8. Homœon eſt, cum ex partibus aliqua ſimilitudo colligitur: Virg. *Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat*.



§. VIII.

§. *VIII.*

Dissimilitudo (gr. Anemœòte.)

I. DIssimilitudo est *Oratio, quæ ex re quapiam dissimile colligit.*

II. E. g. Florum pompa evanescit: contra Virtutis splendor æternùm durat.

III. Valet ad laudandum, & vituperandum.

EPIMETRON.

Similitudo, & Dissimilitudo peti potest a rebus Naturalibus, ab Artificialibus, ab Historia, a Fabulis, &c.

§. *IX.*

Contraria (gr. Enantia.)

I. COntraria sunt, *Quæ inter se distant, seque mutuò expellunt.*

Quatuor autem Contrariorum sunt genera.

1. Adversa; *Quæ sub eodem Genere posita maximè distant*: ut Calor, & Frigus; Album, & Nigrum; Virtus, & Vitium: e. g. Nihil perniciosius Bello; nihil ergo magis salutare, quàm Pax.

2. Relata: *Quæ inter se referuntur*: ut Dux, & Miles; Dominus, & Servus; Pater, & Filius: e. g. Dominum habes; igitur Servus es: Miles est; ergo non Imperator.

3. Privantia sunt *Habitus, ejusque Privatio*: ut Lux, & Tenebræ; Visus, & Cæcitas; Vita, & Mors: e. g. Maximè expetitur Vita; ergo maximè effugitur Mors. Virtus Lux est; ergo tenebras nullas habet.

4. Negantia, seu Contradicentia; *Quorum unum negat alterum*: ut Doctus, & Indoctus; Justus, & Iniustus; Vivere, & non vivere: e. g. Omnia justissimè fecit; cur igitur illum Iniustum appellas? Virtus vitam nobilissimam habet; quis igitur dixerit illam non vivere?

II. Valent maximè in Confutationibus.

§. X.

§. X.

Adiuncta (gr. Prosacta .)

I. ADiuncta sunt, *Quæ cum re, licet non necessariò, conjuncta sunt*. Triplicis autem sunt generis.

1. Adiuncta rei gestæ; h. Locus, Tempus, Vestitus, Comitatus.
2. Adiuncta Animi; h. Virtutes, Vitia, Propensiones, Affectus.
3. Adiuncta Corporis; h. Vires, Color, Forma, Statura, &c,

II. Argumentum. Adolescentem videns semper in templis agentem, viris frugi consuescentem, ad Pietatis officia propensum, ore, habituque ad modestiam compositum: tu ne illum sanctis ac pudicis præditum moribus non esse contendes?

III. Valent ad exaggerandum, vel minuendum crimen; ad laudem, & vituperium, ad describendum, & ad faciendam fidem.

EPIMETRON.

1. Solet hic locus efferri etiam per octo illas *Peristases*. [h. Circumstantias] scitissimo illo versiculo comprehensas,
   Quis, *Quid*, *Ubi*, *Per quos*, *Quoties*, *Cur*, *Quomodo* *Quando*.
2. *Quis*, Personam significat, quæ agit, vel patitur aliquid; in qua spectanda sunt Adiuncta Animi, Corporis, & Fortunæ.
3. *Quid*, Negotium ipsum, quod geritur.
4. *Ubi*, Locum, ubi quid geritur.
5. *Per quos*, Ministros, & Auxilia ad rem gerendam necessaria.
6. *Quoties*, Quàm sæpe facta res sit.
7. *Cur*, Causam, præsertim finalem, quæ ad agendum impulerit.
8. *Quomodo*, Rei gestæ varios modos.

9.

9. *Quando*, Tempus designat; & comprehendit Præsens, Præteritum, & Futurum.
10. Ex hisce omnibus argumenta eruuntur.

§. *XI. & XII.*

Antecedentia, & Consequentia (gr. Proestica, & Acoluthetica.)

I. ANtecedentia sunt, *Quibus positis, necesse est, alia consequi*: e. g. Vulnus accepit in corde; ergo morietur. Peccasti; ergo pœna te manet.

II. Consequentia, *Quæ necessariò rem consequuntur*. e. g. Cicatricem habes; vulnus ergo accepisti. Gloriam sibi comparavit; ergo præclara gessit.

III. Valent hi loci ad aliquid subtiliter colligendum, ad suadendum, dissadendum, confutandum; & ad animi motus ciendos.

§. *XIII.*

Repugnantia [gr. Antilogica.]

I. REpugnantia sunt, *Quæ nulla certa lege, nulloque numero præfixo, inter se diffident*; ut Amare, & Nocere: e. g. Cæsarem amat; non ergo eum læsit, non eum timet, non ei obtrectavit, &c.

II. Ejus usus est maximè in Confutationibus; cùm multum acuminis habeat.

§. *XIV.*

Causæ [gr. Ætia.]

I. CAusa est, *Quæ vi sua aliquid efficit*. Sic Ignis est causa caloris, Sol lucis, Vulnus mortis. Eius quatuor sunt genera.

1. Cau-

1. Causa Finalis: *est id, cujus gratia aliquid fit.* Sic Sanitas est causa medicinæ, Victoria belli: e. g. Sanitatem amas? ergo medicinam sume. Dux optat victoriam; ergo magnum bellum apparabit. Sapientiam contemnit; ergo ad Studia non incumbet.

Valet in laudibus; vituperationibus, & ad rem amplificandam, vel minuendam.

2. Efficiens, est *Id, a quo aliquid proficiscitur.* Sic Sol est causa diei, Arbor fructuum: e. g. Quercus est; igitur glandes parit,

Hæc multiplex est, Procreans, Conservans, Destruens, Naturalis, Artificialis, Moralis. Valet autem plurimùm ad confutandum.

3. Materialis; est *Ex qua, & in qua res sunt.* Sic Marmor est causa statuæ, Lignum januæ: e. g. Marmor est; ergo statua ex eo facta non comburetur. Valet ad rerum manufactarum commendationem; ad extollendum, minuendum.

4. Formalis; est *Ipsa forma, seu ratio, per quam res est.* Sic Dispositio lapidum est forma domus: e. g. Habet januam, scalas, fenestras, tectum, &c. sic disposita; ergo est domus. Valet ad rem clariùs explicandam.

II. Argumentum ductum a Causa dicitur *Analogismus.*

§. XV.

Effecta [gr. Apotelesmata.]

I. Effecta sunt, *Quæ oriuntur ex causis.* Totidem verò eorum sunt genera, quot Causarum; quibus singulis sua effecta respondent. Per hæc licet probare causas; quia notiora sunt ipsis causis.

II. Hinc supradicta argumenta sic licebit invertere.

1. Dux magnum apparat bellum; ergo cupit victoriam.
2. Arbos hæc glandes parit; igitur Quercus est.
3. Statua combusta est; non igitur erat ex marmore.
4. Domus est; habet igitur januam, scalas, &c. sic disposita.

III. Valent in genere Demonstrativo; cùm quid a suis effectis laudatur, aut vituperatur; & in descriptionibus, atque amplificationibus.

IV. Argumentum ductum ab Effectibus, dicitur *Epilogismus.*

§. XVI.

Comparatio (gr. Syncrisis.)

I. COmparatio est, *Cùm duo vel plura in aliquo, quod eis commune sit, conferuntur*: e. g. Virtus pretiosior est Auro: *Virtus, & Aurum* conferuntur in *Pretio*, quod utrique est commune. Tripliciter autem conferri possunt.

1. *A majori ad minus*: e. g. Miles mortem non metuit; ergo multò minùs pericula reformidat. Sapientia est clarior Sideribus; ergo multò magis Divitijs.

2. *A minori ad majus*: e. g. Si tanta cura impenditur in cultu corporis, quantò major in animi cultu impendenda! Non potes vellere arbusculam; ergo multò minùs arborem. [ubi nota, *Multò magis*, & *Multò minùs*, esse utrique communia, prout affirmativè, vel negativè efferuntur.]

3. *A pari*: e. g. Alij discipuli magnos in Rhetorica progressus habuerunt: ergo & vos habebitis.

II. Valent hi loci ad refellendum, laudandum, vituperandum, & movendum.

EPIMETRON.

1. Cùm in Comparatione aliquid excipimus, quod nolumus comparare, dicitur *Hypezaresis*.
2. Comparatio differt a Similitudine, quòd hæc in Qualitate, illa in quantitate versetur.

§. XVII.

Loci Extrinseci.

I. PRæjudicium [sive etiam Lex] Est *Judicium in eadem, vel simili causa ante prolatum, & a Judicibus pronunciatum*. Lex a. est fundamentum Justitiæ, vinculum Reip. Si vis infirmare, dic, antiquatã esse, vel standum non literæ, sed menti Legislatoris; vel Legi Legẽ oppone; vel licere majoris utilitatis gratia a Lege discedere.

II.

II. *Fama est Communis hominum sermo:* e. g. Hoc fatentur omnes; ergo verum est. Magna est enim Famæ auctoritas; & Vox populi quasi Oraculum. Si adversetur, ejus levitatem oppone; quòd videlicet sæpe fallitur.

III. *Tabulæ* sunt publica Jura, Statuta, Privilegia, Testamenta, &c. Quod autem in publicas Tabulas relatum est, id pro indubitato habetur.

IV. *Jusiurandum*. Est rei Affirmatio, vel Negatio religioso ritu facta, & Deo in testem appellato. Infirmabis, dicendo, Periuria frequentissima esse apud Mortales.

V. *Tormenta*. Cùm vi tormentorum Veritatis confessio extorquetur. Interdum hæc fallit; cum vi tormentorum multi Innocentes mentiantur.

VI. *Testes*. Cùm res idoneis testimonijs confirmatur: h. Ocularis, juratis, probis, fide dignis. Infirmabis, dicendo, esse suspectos, spe lucri ductos, non secum cohærere: graviores testes oppone; & conjecturas contrarias.

EPIMETRON.

1. Hi Loci ab Aristot. appellantur *Atechni* [h. Inartificiosi] non quò eorum tractatio nullam requirat artem [quin imò summam requirit] sed quia eorum excogitatio, & inventio non pendet ab Arte; cùm foris eruantur, & sola auctoritate nitantur.
2. Quanvis eorum usus sit in Causis forensibus ad confirmandum, & refellendnm, possunt tamen ferè omnes ad alias causas, præsertim in genere deliberativo, morali, & sacro, accommodari.
3. Ad *Præjudicia* referri possunt exempla ex historia, præsertim sacra, eorum, qui in simili causa defensi, absoluti, vel damnati sunt.
4. Ad *Famam* Parœmiæ, h. Proverbia: Proverbium. n. est *Probatum omnibus verbum*.
5. Ad *Tabulas* Sacri Codices, Jura Canonica, Concilia, &c.
6. Ad *Tormenta* Publicæ, privatæque Calamitates a Deo immissæ; ob quas sæpe Impij errores, & infamiam suam confessi sunt, & extremo die confitebuntur; *Nos insensati, &c.*

7. Ad *Testes* Testimonia Divina [quorum Deus auctor] Oracula (quæ sunt vox Dei) & Testimonia humana ; nempe *Auspicia*, sive *Auguria* [Testimonia capta ex volatu, cantu, pastu Avium] *Vaticinatio* (vatum Responsum) quæ triplex est. 1. *Sacerdotum*, qui consulebantur de obscuritate Oraculorum, Auspiciorum, & Vaticinationum. 2. *Haruspicum* [ab *Harùga*, h. Hostia, Harùga verò ab *Hara* porcorum stabulo, in qua Hostia mactanda servabatur] qui ex inspectis Hostijs, sive Hostiarum extis, h. visceribus, divinabant: quæ Ars, sive Inspectio dicebatur *Extispicium*, *Extispicina*, *Haruspicium*, *Haruspicina*; Divinator verò *Extispex*, & *Haruspex*. 3. *Conjectorum*: ad quos pertinebat Somnia interpretari. Sed hæc apud Ethnicos.

Apud Christianos humana Testimonia Sententiæ SS. PP., & Philosophorum, ac Scriptorum primæ notæ Auctoritas.

§. XVIII.

Argumentationes. [gr. Syllogistica.]

ARgumentatio Rhetorica est *Fusior argumenti, artificiosaque explicatio*.

Septem autem sunt Argumentationum genera: quorum usus est ad varietatem orationi conciliandam. Græca autem voce efferuntur.

I. Syllogismus [h. Ratiocinatio]

I. EST *perfectissima Argumentatio*, suis omnibus distincta partibus. Duplex est, *Philosophicus*, & *Oratorius*. Primi partes tres sunt, *Propositio*, *Assumptio*, & *Complexio*, sive *Conclusio*: quas ipsi nuncupant *Majorem*, *Minorem*, & *Consequentiam*. Secundi partes sunt quinque; *Propositio*, *Propositionis probatio*, *Assumptio*, *Assumptionis probatio*, & *Conclusio*. Quòd si altera vel utraque ex primis partibus, nem-

nempe Propositio, & Assumptio, utpote forte perspicuæ, Probatione non indigent, Syllogismus Oratorius ex quinquepartito, quadripartitus, vel tripartitus, & ceu Dialecticus erit.

XI. Exemplum. 1. *Virtus est expetenda*. 2. *Quia honesta, & gloriosa*. 3. *Atqui Vigilantia est Virtus*. 4. *quia facit bonum Habentem*. 5. *ergo Vigilantia est expetenda*. Qui tamen, ut dictum est, ornamentis Rhetoricis est convestiendus.

XII. Non semper a Propositione incipiendum; sed vel ab Assumptione, vel Complexione; ad evitandam nempe Similitudinem, Satietatis matrem.

II. Enthymèma [h. Ratiocinatio imperfecta.]

I. EST *Ratiocinatio, seu Syllogismus imperfectus*: fitque tollendo vel Propositionem, vel Assumptionem: quæ videlicet facilè subauditur.

II. Exemplum. *Omnis Virtus est gloriosa, ergo Modestia est gloriosa; vel Modestia est Virtus; ergo est gloriosa.*

EPIMETRON.


1. Appellatur ab Arist. *Syllogismus Oratorius, & Jaculum Oratoris*: quia Oratoribus perfamiliaris, tum quòd validiùs torqueat; vibratum siquidem altiùs ferit: ut, *Pacem vis? Arma pone*: tum quòd Oratores, qui circa Hypotheses versantur, plerunque Propositionem (quæ universalis est) omittunt: in Assumptione toti sunt.
2. Est & *Epenthymèsis* [h. Enthymematum acrior, & contorta volubilitas.]
3. Enthymèma optimè fit ex Pugnantibus: ut, Quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?

III. Epicherèma (h. Brevis Ratiocinatio.)

I. EST *Brevissima Ratiocinatio*. Sit exemplum.

II. *Justitia, quia Virtus, gloriosa*: ubi subaudiuntur ceteræ partes.

III. Per Interrogationem vim majorem habet: ut *Sine causa* domi-



dominum servus accuset? quæ, addendo alias partes, ad Ratiocinationem reducitur.

IV. Epagòge (h. Inductio.)

I. EST *Oratio, qua ex multis Singularibus, & similibus, Universale, & Simile concluditur* Quæ sumuntur autem debent esse certissima, ut ritè concludat: e. g.

II. Ensis diu vagina conditus rubiginem trahit; ager, nisi excolatur, sterilescit; Navis extra aquam diutius manens, rimis hiat: ergo & Animus, nisi exerceatur, elanguescit. Hoc argumentationis genere plurimum Socrates utebatur: estq; Poetis familiarissimum.

III. Illustrior est per subiectionem: ut, Quod Pomum generosissimum? puto quod optimum; & Equus? qui velocissimus; & Gladius? qui acutissimus: ita qui Virtute excellit, nobilissimus erit.

V. Paradigma (h. Exemplum.)

I. EST *Oratio, qua ex uno Singulari infertur aliud Singulare simile*. Dicitur autem *Inductio imperfecta*, sive *Inductio Rhetorica*; quam Arist. inter Argumentationes posuit.

II. E. g. Laudatur Cæsar, quòd pepercerit hostibus; non laudabitur Aurelius, si parcet Insidiatoribus?

III. Nota, Exempla maximam habere vim ad persuadendum.

EPIMETRON.

Differt *Paradigma* a *Parabola*. 1. verum exemplum. 2. fictum ostendit.

VI. Sorites [h. Acerualis.]

I. EST *Oratio, qua multa aceruatim, & gradatim involuit, dum ad Conclusionem deveniat*,

II. E. g Omne Honestum est expetendum; omne expetendum est approbandum; omne approbandum est laudabile; omne laudabile est gloriosum; ergo omne Honestum est gloriosum.

EPIMETRON.

1. Hanc Dialectici *A primo ad ultimum* appellant.
2. Inventor hujus fuit Zeno Stoicorum princeps; & Stoici frequenter usi sunt; maximè omnium Chrysippus.
3. Hoc autem Argumentationis genus sæpe est fallax, & captiosum: cujusmodi illud Themistoclis probantis, Diaphantum Filiolum suum toti Orbi imperare; sic: Toti orbi imperat Europa, Europæ Græcia, Greciæ Athenæ, Athenis Themistocles, Themistocli Uxor, Uxori Diaphantus: toti igitur Orbi imperat Diaphantus.

VII. Dilemma [h. Argumentatio bicornis.]

I. EST *Oratio duabus constans partibus contrarijs*; quarum utranvis concesseris, reprehenderis. Sit exemplum.

II. Illud D. Augustini de Lucretia: Si pudica, cur occisa? si impudica, cur laudata? Et Mart. l. 2. ep. 66.

Hæc si displicui, fuerint solatia nobis;
Hæc fuerint nobis præmia, si placui.

EPIMETRON I.

1. Dilemma solvi per *Anastrophen* [h. Inversionem] sive *Antistrophen* (quasi Retorsionem) e. g. vel exiguum est munus, vel magnum: si exiguum, cur mihi denegas? si magnum; in hoc te amicum ostende. Retorquetur: Si magnum, mihi nimis incommodum; si parvum, tibi parùm proficuum.
2. Esse & alia argumenta quædam captiosa; quæ appellantur. 1. *Cornua*: ut, Quod non amisisti, habes, mille aureos non amisisti; ergo habes. 2. *Crocodilus*, hoc est Irrisio, vel Ironica interpretatio; ut si quis interpretari velit mentem Formicæ: a ficto eventu sic dictus: nam cum Mulier Crocodilum oraret, ut abreptum sibi redderet filium; ille se redditurum respondit, modò ipsa ad quæstionem propositam verum diceret. Quæstio fuit: *Filium reddam, nec ne*? Illa fraudem suspicata respondit:

Non reddes : ideò reddere debes , quòd verum dixi. Cui Crocodilus , *Mentiris* , inquit ; *Nam si reddidero ; verum non eris locuta: ideo reddere non possũ, quin falsa dixeris* .


3. *Electra* : est Contradictio ; ubi quis arguitur simul nosse, & non nosse ; facere , & non facere : ut , Qui male videt , non videt : tu vides , sed malè vides : ergo vides , & non vides. Dicta est ab Electra Agamennonis Filia ; quæ rem eandem simul norat, & non norat . Adstante enim Oreste adhuc incognito , sciebat quidem Orestem suum esse fratrem, ipsum autem præsentem , sed incognitum , ignorabat . 4. *Pseudologia* [h. Propositio mentiens] sive *Alyton* (Insolubile) cujusmodi illud Cretensis Poetæ : *Omnes ad unum Cretenses semper mendaces* . Si verum dicis , ergo tu , Cretensis , non mentiris : ergo non est verum , *Cretenses semper mentiri* , & mentiris . Ideo hujusmodi Propositio se ipsam destruit .

4. Cùm Argumentum falsò concludit , est *Paralogismus* , h. Falsa Ratiocinatio .

EPIMETRON II.

1. Oratio non debet Syllogismorum , atque Enthymematum turba esse conferta ; sed in argumentando varietas est adhibenda : locuples enim , & speciosa vult esse Eloquentia ; quòque uberior , ac suavior , eò etiam est credibilior .

2. Conclusionis formulæ . Ergo . Igitur . Itaque . Quare . Quapropter. Quamobrem. Ideo. Idcirco. Proinde . Dubitabitis igitur ? Et quisquam dubitet ? I nunc , & inficiare . Usque adeò verum est . An non igitur verum est ? Quid igitur vobis videtur ? &c.



C A.

CAPUT II.

Dispositio (gr. Diataxis)

I. DIspositio est *Rerum inventarum in ordinem distributio.*

II. Hæc in Oratione pernecessaria est: ubi enim Ordo, res audiuntur libentiùs, intelliguntur faciliùs, retinentur diutiùs: in hac proinde Oratoris Prudentia maximè elucet. Cavendum autem, ut Ordo sit naturalis; h. ut una pars ab alia naturaliter, ac veluti sua sponte, & non coactè descendat.

III. Oratio est *Ordinata & apta verborum, sententiarumque congeries ad unum aliquod persuadendum.*

IV. Quinque Orationis sunt partes: *Exordium, Propositio, Narratio, Confirmatio, Peroratio.* Exordium disponit, Propositio exponit, Narratio docet, Confirmatio suadet, Peroratio movet.

V. Hæc sanè Divisio est Naturæ maximè consentanea: nam ubi quid a quopiam volumus impetrare. 1. ipsius animum conciliamus. 2. exponimus quid petimus. 3. rationes afferimus. 4. preces, aliosque motus idoneos adhibemus. Quæ sanè Regula in Epistolis [de quibus suo loco] apprimè tenenda est. Sed jam de his quinque partibus singillatim.

§. *I.*

Exordium [gr. Procemium.]

I. EXordium est *Pars Orationis auditoris animum comparans ad reliquam dictionem.* Est veluti Caput totius Orationis: quare *Difficillima pars* vocatur a Tullio: in qua proinde sudandum maximè; quemadmodum in Capite fingendo maior Naturæ labor, & cura est.

II. Duplex verò est Exordij genus. 1. *Legitimum* [quod scilicet arti-

artificiosa conciliatione disponitur] 2. *Ex abrupto.* Est repentinus in causam ingressus cum impetu quodam animi concitato sine præparatione animorum : idque usurpandum vel in summa lætitia, vel in summa indignatione: fitque vel per Licentiam, vel per Increpationem, vel per Exclamationem, aliamve illustrem figuram; vel per motus lætitiæ, commiserationis, doloris &c. Arist. hoc Exordij genus *Acephalon* (h. sine capite) appellat.

III. Exordij triplex est munus, reddere Auditorem *Benevolum*, *Attentum*, *&* *Docilem*.

IV. *Benevolum* reddes, si laudes ipsius, & Patriæ commemores; si eius Benignitati confidere videaris; si eius Adversarijs confles invidiam; si de te ipso ingenuè, ac modestè loquaris. *Attentum*, si vel Magna, vel utilia, vel necessaria, vel jucunda, vel nova te dicturum profitearis: Quæ Attentio expresè peti potest vel sub exordium, vel interdum in decursu Orationis, defatigatum Auditoris animum excitando. *Docilem* deniquè, si Propositionem, ac Partitionem Propositionis clarè, ac dilucidè proferas.

EPIMETRON.

1. Attentum, & Docilem reddere, semper necesse est: Benevolentiam verò captare, non semper (nempe in Causis *Eudoxis* (h. quæ per se sunt honestæ) e.g. De Cœlitum laudibus; nam illis ultro favet Auditor) sed tantùm in Causis vel *Paradoxis*) h. Admirabilibus, & Incredibilibus] ut siquis velit laudare sive cum Agrippino Calamitatem, sive cum Erasmo Insaniam, sive cum Favorino Quartanam: vel *Amphidoxis*[h. *Dubijs*]quæ partim honestæ sunt, partim turpes: ut si Horatium Sororicidam velis defendere, & commendare : vel *Adoxis* [h. *Humilibus*] ut si cum Homero Ranas, & Mures, cum Luciano Muscam, cum Virgilio Culicem, cum Catone Brassicam laudandam assumas.

2. Hæ verò Causæ *Insinuationem* quoque requirunt. Insinuatio autem est. *qua Orator callidè & latenter Auditorem præmuniens eius Benevolentiam captat.*

V. Exordia in genere Judiciali ex ipsis Causę visceribus sunt eruen-

eruenda: in alijs generibus sunt liberiora: Equidem ea praetulerim, quae ex re viciniori ac propria sumuntur.

VI. Si Propositio sit singularis, exordium inchoandum a Thesi; tum descendendum ad Hypothesin: e. g. Castimoniam laudaturus, exordium duces a Pulchritudine Virtutis in genere; deinde ad Pulchritudinē Castimoniae devenies.

VII. Si Propositio sit Problematica, explicanda in exordio ratio Discrepantiae inter utranque partem. Sit haec: *An maiora in Remp. commoda ex Armis, an ex Literis proficiscantur*: auspicandum exordium dicendo generatim: Hisce duobus Remp. potissimùm fulciri, Armis, & Literis; verùm utrinque suboriri dissidium, utrum &c.

VIII. Si Propositio sit Metaphorica, exordium ducendum ab explicatione rei, unde est sumpta Metaphora: e. g. ostensurus, *D. Laurentium esse Sacrum Phoenicem*, Descriptionem Phoenicis debes praemittere.

IX. Si Propositio fiat per Paradoxum, explicandum est, quàm non immeritò incredibilis videatur.

X. Ducitur etiam Exordium ab Adiunctis Personae, Loci, Temporis, Rei, &c. e. g. occasione publicae Supplicationis, Victoriae, Funeris: quae ordiendi ratio fuit Tullio familiarissima.

XI. Si supponatur in Auditoribus praejudicium aliquod, ratione cujus suspicetur Orator, se minùs benevolè audiendum, exordium auspicandū ab ipsius praejudicij solutione per figuram Occupationis.

XII. Commoda est etiam introductio per aliquam sententiam, dictum, quaestionem, similitudinem, historiam; quibus ad rem propositam deveniatur.

XIII. Optima verò per Suspensionem, qua praeparetur animus Auditoris, rei magnae expectationem acuendo.

XIV. Virtutes Exordij sunt, 1. ut sit accuratum, concinnum, sententiosum, sublime, eruditum, illuminatum, varium, aptum, verecundum; plenum denique dignitatis; & in ipso praesertim ingressu magnificum, & grave. 2. ut sit proprium, & cum reliqua Oratione, tanquam Caput cum Corpore, conjunctum. 3. ut sit moderatum, & reliquae Orationis magnitudini accommodatum. 4. Locum habent in Ex-

Exordio leniores affectus, rarò vehementiores; qui tamen sint potiùs inchoati, ac semina quædam affectuum in cursu Orationis, & magis in Peroratione excitandorum.

XV. Vitia sunt, si sit *vulgare*, & *commune* alijs causis (quod vocant G*aleatum*; nam, ceu Galea, commune omnibus esse potest:) si *commutabile* in contrariam partem; si *separatum*, h. Causæ non connexum; si *longè accersitum*; si *longum*, si *arrogans*, aut *minùs modestum*: si in ipso Confirmationes Propositionis prælibentur: temetsi primula quædam argumentorum semina præiaci possunt; ita tamen ut sublateant, nec planè explicentur: rationes autem sententiarum, quæ sparsim in Exordio enunciantur, statim subijci possunt.

§. *II.*

Propositio [gr. Prothesis .]

I. PRimus Oratoris labor est in invenienda Propositione, & Partitione.

II. Propositio est, *Id quod Orator probandum assumit*. Proponitur autem demonstrandum non quod compertum est omnibus; sed quod in quæstionem vocari potest.

III. Est igitur brevis Status, & totius Causæ Comprehensio.

IV. Duæ Propositionis sunt partes 1. *Seiunctio*; quæ declarat, quid cum Adversarijs conveniat, & quid controvertatur. 2. *Divisio*, seu *Partitio*; quæ est explicatio totius ordinis. Hæc lumen affert, juvat memoriam, levat fastidiũ.

V. Partitio debet esse 1. Plana, & simplex. 2. Plena, ut omnes Partes comprehendat. 3. Tribus ad summum constans membris. 4. Membra verò sint opposita, neque unum in altero contineatur. 5. Optima erit, quæ a rei proprietatibus petitur: e. g. *D. Ignatio nomen Ignis meritò convenire*; cujus proprium est, *Purgare*, *Illuminare*, *&* *Accendere*.

VI. Dotes Propositionis sunt. 1. ut sit naturaliter deducta, non ibi violenter affixa. 2. ut sit Una, & simplex, h. simplici constans sententia: nam ex ejus unitate unitas desumitur Orationis: quare Problema, quod disputatur in utranque partem, cùm gemina constet Propositione, Oratio-

tionem quoque geminam facit: quod non ideò tamen ab Orationibus præsertim Academicis est penitus reijciendum. 3. ut sit clarè exposita, ut non intelligi nequeat. 4. ut sit per totam Orationem extensa; ita ut in eam, tanquam in Scopum, argumenta omnia collineent. 5. ut sit loco, tempori, dicenti, audientique congruens; cujusmodi non esset in libera Civitate, *Optimum esse Regimen Monarchiam*. 6. in genere Judiciali sit propria Causæ; in Deliberativo (quod Utilitatem respicit) sit non Contemplativa, ut *Cœlum est rotundum*; nam hæc non conciliat utilitatem, ut ait Seneca; sed Practica, vel in se, e. g. *Pravorum consortium vitandum*, vel in effectibus, e. g. *Pulchritudine corporis nihilinanius*: in Exornativo singularis, & propria, habens aliquid novitatis. 7. Metaphorica Propositio rariùs usurpanda.

VII. Novitas Propositionis habebitur, vel per Paradoxum; e. g. *Maximum Infortuniorum Felicitas*: vel per Comparationem cum suo contrario; e.g. *Virtutem plus juvat Calamitas, quàm Felicitas*: vel per Transitionem de genere in genus; e.g. si Heroem laudaturus dicas, *Velle te ejus vitia obiurgare*; interim vitiorum nomine virtutes recenseas: vel dicas, *Velle te hortari omnes ad Avaritiam, Superbiam, & Concupiscentiam*: est enim Avaritiæ genus, Superbiæ, Concupiscentiæ laudabile.

§. III.

Narratio [gr. Diegèsis.]

I. Narratio est *Expositio rei gesta, vel tanquam gesta*. Dixi *Rei gesta*, respiciendo Historicam; *Tanquam gesta*, respiciendo Poeticam.

II. Triplex est autem Narratio, *Historica*, *Oratoria*, & *Poetica* 1. res verè gestas exponit, stylo concinno quidem, sed & expedito, sententijsque, & figuris parciùs asperso. 2. si sit in causa Judiciali, plana, & sine phaleris sit oportet; diciturque *Narratio Civilis*; si in genere Exornativo, fusior, & sententijs, ac figuris illuminata, continens admirationes, su-

ſuſpenſiones, colloquia perſonarum, ſeu Dialogiſmos, motus animorum doloris, lætitiæ, &c. Sitque Epiphonemate concluſa. Rurſus, ſi rei ſit Tragicæ, gravis eſſe debet, & majeſtatem quandam retinens: ſi Comicæ, vel Satyricæ, ſalibus eſt, & mordacitate aſpergenda. 3. fictæ rei expoſitionem habet: quæ quidem floridiori ſtylo deducenda erit.

III. Poetica eſt iterum triplex, *Parabola*, *Fabula*, *Apologus*: de quibus in 2. parte.

IV. Quatuor habere dotes debet Narratio, *Brevitatem*, *Perſpicuitatem*, *Probabilitatem*, *Suavitatem*. *Brevis* erit 1. ſi non altiùs Narrandi initium, & ab ovo (quod aiunt) repetas. 2. ſi ſine redundantia verborum. 3. ſi ſine digreſſionibus importunis. 4. ſi non crebra Parentheſi interrupta. *Perſpicua* erit, ſi verbis uſitatis, & bene diſpoſitis conſtet. *Probabilis*, ſi id, quod narratur, ſit veroſimile; quale non eſſet, *Elephantem Græcè ſcribere, aut Simium pingere didiciſſe*. *Suavis* erit, ſi illuminata figuris; ſi non eodem omnia tenore efferantur, ſed vario ſtylo; Parva preſsè, Magna ſubtiliter, Atrocia graviter, Triſtia miſerabiliter, Lęta jucundè. Porrò Suavitas alia eſt *Verborum*, alia *Rerum*: 1. in Elocutione ſita eſt. 2. cùm immiſcentur admirationes, expectationes, exitus inopinati, Ethopœiæ, Hypotypoſes, motus animorum, &c. ut dictum eſt.

V. In genere Judiciali ſtatim ſub exordium ſubijcitur; niſi priùs ſint confutanda Objecta, & præjudicia amolienda. In Exornativo Narratio non neceſſariò ſequitur poſt exordium; ſed aliqua in recenſendis Factis poteſt incidere. In Deliberativo nulla eſt: poteſt tamen aliqua in decurſu Orationis interſeri.

VI. Repetita Narratio dicitur *Epidiegèſis*, ſive *Epecdiegèſis*. Narrationis præparatio *Procatàſtaſis*, ſeu *Procataſcève*.



§. IV.

§. IV.

Confirmatio [gr. Esticyròsis.]

I. Confirmatio est *Argumentorum ordo, quibus Propositio probatur*. Debent autem Argumenta esse vel certa, ut *Deus nos amat*; vel saltem probabilia;ut *Mater amat filios suos*: horum vero silva ex locis oratorijs petenda, tum suo rite ordine disponenda.

II. Prima fronte argumenta *fortia* locanda sunt [nè secus Auditor male præsagiat de tota Oratione) *Medocria* in medio (quæ quidem non amplificanda,sed per Præteritionem coacervanda; ut simul posita vim aliquam obtineant) postremo loco *fortissima* [quibus maximè insistendum,ut viam sternant Perorationi, & victoriæ] Quòd si Causa duobus tantùm argumentis nitatur, primum *fortius* locandum,tum *infirmius*; deinde ad fortius arte quadam recurrendum.

III. Argumenta ita digerantur, ut non tam unum post aliud, quàm potius aliud ex alio, Transitionum beneficio, descendat.

IV. *Oratio debet semper crescere*: ideò Argumenta ita disponantur, ut semper majus aliquid subijciatur. Ita denique pertractentur, ut varietas tum in Argumentationibus, tum in Figuris servetur. Auditores verò defessos recreabis spe Brevitatis, promissione Confutationis, urbanitate aliqua opportuna.

V. In Accusatione priùs minora, deinde majora Crimina producenda: in Defensione priùs majora, deinde minora purganda.

VI. Facienda aliquando *Digressio*, & *Thesis*. Vide primam §. 5. n. 33. secundam Parte 2. cap. 1. §. 3.

VII. Ad Confirmationem pertinet *Confutatio*(gr. Anascève) h. *Subversio; qua Adversariorum argumenta diluuntur*. Utitur autem ijsdem fontibus, quibus Confirmatio, præsertim Repugnantibus: & figuris Occupationis, Dialogismi, Ironiæ, Subiectionis, &c. Solet autem subijci post exordium; tametsi in Orationis decursu ejus occasio subnasci potest.

Ali-


Aliquando tota Oratio in Confutatione versatur: & tunc propriè dicitur *Reprehensio*.

VIII. Ordo in Confutatione tenendus vel is est, quem tenuit Adversarius in obijciendo; vel meliùs primo loco infirmiora Adversarij argumenta collocanda, fortia in medio, infirmissima in ultimo. Fortia verò debent validè augeri, ut eorum impressa opinio validiùs revellatur.

IX. Modus Confutandi triplex est, *Negando*, *Redarguendo*, *Elevando*. 1. Negando rem totam. 2. Ostendendo esse fictam, vel dubiam; vel in Adversarium retorquendo. 3. Regerendo aliquid Par vel in personam, vel in rem ipsam.

EPIMETRON.

1. Modi refellendi. 1. *Exutenismus* [h. per contemptum) 2. *Epiplexis* [h. Increpatio] ut, *Dij te perdant*, *&c.* 3. *Antisagòge* [h. Compensatio] non respondendo directè, sed Par reponendo: ut Virgiliana illa: *Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo* &c. Cui alter reposuit: *Dic, quibus in terris inscripti nomina Regum*, &c. 4. *Apoplanèsis*; (h. Aberratio) sive *Apodoxis* [Rejectio] cum ad obiectum Adversarij alio loco nos responsuros pollicemur; & sic elabimur [vide in Figura occupationis c. 3. §. 5. n. 22.] 5. *Epitimèsis* (Redargutio) cum Adversarium ijsdem verbis coarguimus, quibus nos lacessivit. Sic Ascanius Æn. 9. Numàno obiectanti. *Non pudet obsidione iterum, valloque teneri, Bis capti Phryges*, &c. telo emisso respondet: *Bis capti Phryges hac Rutulis responsa remittunt*.
2. *Prupergasia*, seu *Parascève* [Præmunitio] Qua utimur ad confirmandum id, quod subijcimus: ut, si testem producturi sumus, ante, ei fidem habendam esse docemus.



§. V.

§. V.

Peroratio (gr. Epilogus.)


I. PEroratio eſt *Pars extrema*, *& concluſio totius Orationis*. In hac tota vis; in qua Orator ſuum maximè finem aſſequitur; qui eſt Movere.

II. Duas habet partes, *Anacephaleòſin*, & *Pathon*. 1. eſt *Omnium argumentorum Repetitio*, non minutatim, ſed raptim per *Synathrœſmum* (h. Congeriem) facienda; itaut argumenta quaſi nova accidant; ſit. a. variata figuris; caveaturque memoriæ oſtentatio: cavendum item, nè ullum argumentum de integro afferatur, quod in Confirmatione probatum non fuerit;ne Peroratio ipſa in Confirmationem abeat. 2. ſunt Affectus: qui tunc per vehementes figuras excitandi;iiſque Thyrſus oratorius concutiendus. Brevitas tamen in Affectibus iiſdem ſervanda;cùm *Lacryma nil citius areſcat*: potiùſque variandi ſunt, quàm iidem diutiùs continuandi.

III. In Panegyricis locum habent Affectus Amoris, Lætitiæ, Æmulationis; In Vituperatione Odium, & Invidia: in Deliberatione Spes, & Timor: in genere verò Judiciali motus omnes locum habere poſſunt. De Affectibus vide in 2. Par. cap. 4.

EPIMETRON.

1. In noviſſima Periodo duplex ſit cautio, *in re*, & *in dictione*: nam cùm nihil magis hæreat in memoria, quam quod primo, poſtremoque loco refertur, quemadmodum danda opera ne quid offendat in exordio, ſic & in exitu.
2. Debet igitur Orationis clauſula eſſe numeroſa, & magnifica.



CAPUT III.

Elocutio (gr. Hermenìa.)

I. Elocutio est *Idonea verborum, & sententiarum ad res inventas accommodatio.*

II. *Elocutio* a *Sermone* distinguitur: nam Sermo est propriè ille *Grammaticus*, *quotidianus*, & *popularis*. Elocutio verò *elegans loquendi modus a communi recedens*.

III. Tres habet species, *Propriam*, *Translatam*, & *Figuratam*. 1. ut dictio, & Syntaxis (h. Constructio) sit usitata. 2. in Tropis sita est. 3. in Figuris. Nos alia ratione, quæ in idem recidit, differemus.

IV. Tria in Elocutione requiruntur, *Emendatio*, *Ornatus*, *Suavitas*. 1. fit vitia evellendo. 2. Schematibus illustrando. 3. Oratorium numerum adijciendo. Jam de his singillatim.

§. I.

Vitia Orationis (gr. Cacolexes.)

I. *Acyrologìa*, sive *Acyron*, est *Impropria, vel absurda dictionis usurpatio*: ut, *Mons caloris*. Quæ siquidem sit castigatior, Tropus erit, species Catachreseos; ut *Sperare dolorem*, pro *Timere*.

II. *Æschrologìa* (Turpiloquium) est *Inverecunda Oratio*, sive *Obscœna Compositio*.

III. *Amphibolìa* (Ambiguitas) sive *Amphibologìa* [Ambiguus sermo], ut, Credo Antonium præcedere Crassum Eloquentia.

IV. *Anœconomèton* [Mala dispositio] ubi nulla in Oratione Oeconomìa.

V. *Arythmon* (sine consonantia (cùm numeris caret oratio.

VI. *Aschèmaton* [sine Figuris] vel male figurata oratio.

VII. *Asiatismus* [ubi multa sunt verba, res autem nullæ] v. *Perissologia*.

VIII.

VIII. *Ataēton* (Inordinatum) cùm rerum ordo perturbatur; ut, *Occasus*, & *Ortus*; vel *Sacrilegus*, & *Fur*; ubi oratio decrescit.

IX. *Barbarismus*, seu *Barbara Lexis* (vox peregrina) est dictio barbara, ut *Perla* pro Unione; vel si Latina, pronunciatione corrupta, ut *Thesaura*.

X. *Battologia*, seu *Tautologia* [Inanis ejusdem vocis iteratio] a Batto, garrulo pastore apud Ovid. *Sub illis Montibus*, *inquit erant*, & *erant sub montibus illis*.

XI. *Brachylogìa* (Breviloquium) est de re gravi nimis brevis locutio. Contra *Periergìa*. v. infra. Rite ducta, erit Schematismus. v. §. seq.

XII. *Cacòphaton*, seu *Cacèphaton* (Obscœna pronunciatio) vel in obscœnum sensum sermo detortus.

XIII. *Cacophonìa* [Malus sonus] fit turpiori literarum concursu. 1. Vocalium; ut, *Pila ahenea aere evolant* tametsi pares vocales mitiùs concurrunt; ut, *Ille ego*, *Latera ardua*. excepto V. cum V. ut *Gelu udum*. 2. Consonantium; ut, *Rex Xerxes strages spirans*. 3. Earundem literarum in principio dictionum; ut, *Te tamen tam timet*. Poetice figura est; & dicitur *Paromœon*; ut illud, *O Tite, tute Tati, tibi tanta Tyranne tulisti*. 4. Syllabarum in fine; ut illud Ennianum, *Mœrentes. flentes, lacrymantes, ac miserantes*. 5. Syllabæ in fine unius dictionis iteratæ in principio sequentis; ut illud Cicer. *O fortunatam natam me Consule Romam!* 6. Monosyllaborum; ut, *Quæ res est*, *quam tu fers?* 7. Cùm longiora vocabula continuātur; sunt enim brevioribus intermiscenda. (Nolo te tamen in hac re plus nimiò religiosum; esset. n. infinitus ac puerilis labor: moneo tantùm, ne offendantur aures; quarum judicium superbum est.)

XIV. *Cacosyntheton* (Mala collocatio) cùm nulla in oratione concinnitas.

XV. *Cacozelia* [Affectatio decòris] omnium vitiorum pessimum: fitque nimio tumore dictionis; ut, *Aulæorum superbia textilis*: vel cùm inscitè virtutem aliquam imitantes in vitium labimur; ut si quis Atticismum affectans, jejunus fiat.

XVI. *Cœnismus* [Mistio] est varijs mista linguis Oratio. v. *Soraismus*.

XVII. *Homœologìa* [Similia verba] cùm nulla in oratione varietas.

XVIII. *Jotacismus*, *Labdacismus*, *Mytbacismus:* sunt frequens literarum I. L. M. Iteratio.

XIX. *Macrologìa* (Prolixitas sermonis) cùm justo longior sermo est.

XX. *Mìosis* [Diminutio] cùm deest Orationi quidpiam, quominus intelligi possit; nisi hoc ipsum studiosè fiat; ut, Inscriptio illa supra Domus januam, *Omnia cum*.

XXI. *Paraphora* (Mentis error) Vitium est Orationis; ut Barbarismus &c.

XXII. *Periergìa* (Diligentia redundans) Est de re levi copiosa Oratio.

XXIII. *Perissologìa* (Multiloquium) ut illa Livij: *Legati retro domum, unde venerant, abierunt*.

XXIV. *Pleonasmus* (Redundantia) cùm vox vitiosè redundat: ut *Alloqui ore*; *Dentes albi*; *Humida vina*. Poeticè Figura est.

XXV. *Pœcilologìa* (Picturata oratio) cùm omnia sunt figurata, & quasi scurriliter picta.


XXVI. *Pompholygologìa* [Locutionis tumor] cùm res nimis magnificè extolluntur; a. gr. voce *Pòmpholyx*, *gos* [Bulla] sic appellata.

XXVII. *Solœcismus* [Impar orationis Constructio] ut, *Quoque ego, Scribo cum calamo*

XXVIII. *Soraismus* [Coacervatio] Miscella ex varijs Idiomatis. Idem qui *Cœnismus*.

XXIX. *Synchysis* (Perturbata Transgressio) ut illa Æn. 1. *Saxa vocant Itali, medijs quæ in fluctibus, aras*.

XXX. *Tapinòsis* (Humilitatio) cùm rei magnitudo attenuatur: ut si quis Parricidam vocet *Hominem nequam*: nisi res epithero temperetur; ut, *Apparent rari nantes in gurgite vasto*. Æn. 1.



§. II.

§. II.

Figurata Constructio (gr. Schema, sive Schematismus.)

Et Figura Dictionis (gr. Schemalexeos.)

I. FIgura Constructionis est *Nova loquendi ratio a vulgar sermone recedens.*

II. *Constructio* [grecè Syntaxis] est *congruens verborum collocatio.*

III. Duplex est autem Constructio: *Analoga* (h. juxta communes regulas) & *Anomala* [h. quæ a communi regula paululùm recedit) potestque dici *Asyntacton* (h. consuetæ constructionis Mutatio.)

IV. Figura Dictionis in una etiam voce sita est.

V. Harum nos varias species per Alphabetum digerimus.

I. *Alleòsis* [Mutatio] al. *Solœcòphanes*; cùm quid speciem habet Solœcismi: ut, *Praneste sub ipsa*: refertur .n. ad Civitatē.

II. *Anastrophe* (Inversio) est duorum verborum ordo præposterus; ut *Mecum*, *Tecum*, *Quicum*, *Quode*, *Post paulò* &c. pro *Cum me* &c.

III. *Antiptòsis* (Casus pro casu positio) ut, *It clamor cœlo*, pro *ad cœlum*.

IV. *Apòstasis* (Separatio) est Amplificatio varios sensus separans, ac dilatans: ut, *Serviebat forum cubiculo*, *Prætor libidini*, *carcer convivio*, *dies nocti*.

V. *Antisthœcon* [literarum permutatio] ut, *Parricida* pro Patricida. v. *Euphonìa*.

VI. *Apostrophus* (Aversio) est Nota ultimæ vocalis, vel literæ S. a vocabulo expunctæ: ut, *Ain'*, *Viden'*, *Men'*, *Ten'*, &c. pro *Ais ne*, *Te ne* &c.

VII. *Archaismus* (Antiqua Constructio) ut, *Absente nobis*. *Præsente legatis*. *Fastidit mei &c.*

VIII. *Auxèsis* (Incrementum) cùm verba sonantiora, magnifica,

fica, & ſuperlativa ponuntur; tum Compoſita pro ſimplicibus: ut, *Incredibilis*, *Officioſiſſimus*, *Contrucidare*, *Conſceleratus*, &c.

IX. *Brachylogìa* [Brevilogium] Sermonis brevitas, Laconiſmus: ut, *Ferte citi ferrum*, *date tela*, *ſcandite muros*.

X. *Catèxoche* (Excellentia) ut, Quæ cura *Boum*, qui cultus habendo Sit *Pecori*. [Geor. 1.] Primùm Boves, deinde intulit Pecora; ut majus ſeparet a minoribus.

XI. *Cyriologìa* (oratio propria) h. quam ipſa veritas, & ſimplicitas exornant: ut, *Romanos rerum Dominos*, *Gentemque togatam*. [Æn. 1.]

XII. *Ecclèſis* (Evocatio) eſt Reductio tertiæ perſonæ ad primam, vel ſecundam: ut, *Troes te miſeri*, *ventis maria omnia vecti*, *Oramus*. Æn.

XIII. *Eclypſis*, ſive *Ellipſis* (Defectio) cùm orationi deeſt aliquid, quòd facilè intelligitur: ut, *Ille domum rectà*. *Quò te pedes? Senatus ad Apollinis* (i. Ædem.)

XIV. *Enàllage* [Immutatio] cùm una pars orationis pro alia ponitur: ut, Philotimus *nullus* venit; pro *Non*. *Multa* gemens, pro *Multum*, *Recens*, *Frequens*, &c. pro *Recenter* &c. *Excuſſiſſe* pro *Excutere*, &c.

XV. *Endìadys* (Diſſolutio) cùm reſolvitur Adiectivum in aliud Subſtantivum: ut, *Pateris libamus & auro*: pro *Pateris aureis*.

XVI. *Epexegèſis* (Prioris dicti explicatio) ut, *Tolle fuga Turnum*, *atque inſtantibus eripe fatis*.

XVII. *Epiploce* (Implicatio) cùm una ex alia ſententia ducitur.

XVIII. *Euphonìa* (Bona vox) eſt mutatio vocis venuſtioris: ut, C*amilla* pro Caſmilla, *Sichaus* pro *Sichærba*, *Aufero* pro Abſero, *Prodeſt* pro Proeſt, &c.

XIX. *Helleniſmus* [Græca conſtructio] ut, Solus *tibi* certet Amyntas. Deſine *mollium querelarum*. *Triſte* lupus ſtabulis. Flava *comas*. *Oſſa* tremit. *Cetera* Graius: in quibus ſubauditur Propoſitio *Katà* [ſecundùm] Poetica eſt.

XX. *Hypàllage* [Oratio inverſa] cùm verba per adverſum intelliguntur: ut; *Dare claſſibus auſtros*. *Dare vulnera lymphis*. Poetica eſt.

XX. Hy-

XXI. *Hypèrbaton* (Verborum transgressio) fit, 1. Præponendo universim Adiectiva nomina Substantivis, & Adverbijs: Partitiva tamen, ut *Omnis*, *Nullus*, *Aliquis*; item Numeralia elegantiùs postponuntur; ut *Gallia est omnis divisa in partes tres*: [Cæs. de Bell. Gall.] tum etiam Comparativa, & Superlativa; ut *Dignitas major*. *Virtus maxima*. 2. Verbum ferè in finem reijciendo; nisi Decor Orationis poscat oppositum. Pronomina Possessiva, item Partitivum *Nemo*, eleganter in fine; ut, *Hoc pace dicam tua*. *Præter Cæsarem vidi neminem*: 4. Inter Adiectivum, & Substantivum vocem aliquam interijciendo. 5. Relativum sæpiùs præponendo; ut, *Quos amisimus Cives*. *Qui verò victor*: pro *Victor qui &c.*

XXII. *Hyphen* (Subunio) qua sub uno accentu duæ dictiones proferuntur: ut, *Antexpectatum*, *In antecessum*, *Antemalorum* [h. Malorum antelatorum]

XXIII. *Hyrmos* [Perpetui series sermonis] cùm oratio tenorem suum in multos versus protendit; ut illa Virg. *Principio Cœlum, ac terras, camposque liquentes, Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra Spiritus intus alit.*

XXIV. *Hysterologìa* (Sermo præposterus in verbo) ut, *Urbem adire*, pro *Ire ad Urbem*: & *Hysteron proteron* (sermo præposterus in sensu) ut, *Sed moriamur, & in media arma ruamus*. Æn. 2.

XXV. *Liptòte* [cùm minus dicitur, plus intelligitur] ut, *Munera nec sperno*; h. Libenter accipio. *Non mihi displicet*, h. Mihi valde placet, & illud Æn. *Non ignara mali miseris succurrere disco*.

XXVI. *Metàbole* (Trajectio) quæ fit contrarijs ita transpositis, ut ex priore posterius proveniat: ut, *Hic segetes, illic veniunt feliciùs uvæ; Arborei fœtus alibi, atque iniussa virescunt gramina*. Virg.

XXVII. *Paradiàstole* [Discriminatio], cùm res similes discernuntur, contrarijs redditis: ut, *Triste Lupus stabulis, maturis frugibus imbres, Arboribus venti, nobis Amaryllidis ira.* Vel quæ differentiam ostendit inter res, quæ alioqui similes videntur: ut, *Non sapiens, sed astutus; non severus, sed crudelis; non liberalis, sed profusus*.

XXVIII.

XXVIII. *Parelcon* (Productio) cùm dictioni adijcitur sylla-ba : ut, *Adesdum*.

XXIX. *Paràllage* (Evariatio) cùm una præpositio pro alia ponitur : ut, Si bene quid *de te* merui : pro *in te*.

XXX. *Parenthesis*[Interpositio orationis]ut,*O praeclarum custodem ovium (ut aiunt) lupum!* 2. Cùm rei causa post vocativum interseritur, dicitur *Epèmbole* : ut, *Æole (nanque tibi Divum Pater, atque hominum Rex &c.)* 3. cùm interijcitur circunstantia aliqua ; est *Parèmbole* : ut, *Mortales (qua cæcitate sunt) caduca sectantur, spernunt aterna*.

XXXI. *Parodia* [cùm partem versus affert Orator, reliquum soluta oratione interpretatur. Qua Demosth. & Cic. usi.

XXXII. *Pleonasmus* (Redundantia) cùm expressionis ergò, vel elegantiæ aliquid adijcitur : ut, *Hisce oculis ego met vidi. Nihil amplius eo dicam. Ubi terrarum es?* Cùm particula non necessaria additur, dicitur etiam *Peripleròma* (Supplementum) ut illud Virg. *Sic fortè precatur*. Ubi Fortè solùm ad hiatum explendum ponitur:[ait Servius]Cum absoluto sermone adhuc verbum additur perspicuitatis gratia, appellatur *Prodiasaphèsis*.

XXXIII. *Proœconomìa* (Præmissa Dispositio) est rei dicendæ præparatio ; Poetis familiaris, ne ex abrupto transitum faciant : ut illa Æn. 1: Jovem inducens de rebus humanis cogitantem, & Africam respicientē, ad quam venère Troiani : - *Sic vertice Cœli constitit, & Libya defixit lumina regnis*.

XXXIV. *Pròsthesis*, seu *Pròthesis* [Appositio] est Continuatio duorum substantivorum in eodem casu : ut, *Effodiuntur opes, irritamenta malorum*. [*Met*. 1.]

XXXV. *Prostaxis* (Jussio) cùm Sententia Imperativo modo effertur : ut, O Rex, *Si nimiùm timeris, time* : h. Timendum tibi est. *Miserum veta perire, felicem jube*. [Sen.]

XXXVI. *Syllepsis* (Complexio) 1. cùm id, quod in oratione deest, è proximo assumitur, cum aliqua mutatione : ut *Socijs, & Rege recepto*. Æn. 1. *Vos, o Calliope, precor adspirate canenti*. Æn. 9. ubi subaudit ceteras Musas. 2. cùm diversis rebus datur unum verbum minimè utrisque conveniens : ut, *Inclusos utero Danaos, & pinea furtim Laxat claustra Sinon* : non enim *Laxat* ad Danaos referri potest.

XXXVII.

XXXVII. *Syncope* (Concisio) cùm litera, vel syllaba de medio tollitur : ut *Nummum*, *Sestertium*, *Virum*, &c. pro Nummorum &c. *Dixti* pro Dixisti &c.

XXXVIII. *Synesis* [Intelligentia] 1. cùm Oratio non voce, sed sensu cohæret : ut, *Duo millia crucibus affixi*. *Capita conjurationis cæsi*. 2. Cùm verbum substantivum adhæret minùs principali : ut, *Vestes, quas geritis, sordida lana fuit* : pro *Fuerunt*.

XXXIX. *Synthesis* [Compositio] cùm nomen collectivum singulare cum plurali conjungitur : ut, *Pars in frusta secant*.

LX. *Syntomìa* [Abbreviatio] cùm brevi verborum ambitu res quanvis ingens pro dignitate redditur : Æn. 1. *Nascetur pulchra Troianus origine Cæsar, Imperium Oceano, famam qui terminet astris*.

LXI. *Taxis* (Ordo) cùm unaquæque res novissimorum verborum sententia clarè distinguitur : ut, *Eorum vitijs invehi non licebat, reticere omnino non expediebat, suspiciosè loqui potissimùm placebat*. [Stratocles.]

LXII. *Tmesis*, sive *Diàcope* [Intercisio] est sectio vocis compositæ : ut, *Septem* - subiecta - *trioni*. *Hac* - Trojana - *tenus*. *Quo* - te - *cunque* feras. *Res* - verò - *publica*. *Per* - mihi - *mirum* est. *Per* - mihi - *gratum* feceris.

Sunt & alia Schematum id genus nomina ; quæ, cùm vel ad Tropos, vel figuras Verborum, aut Sententiarum pertinere videantur, illuc transferenda putavimus. *Metaplasmum* verò, & Figuras Poeticas, quæ supersunt, sub alterius partis calcem transmissas invenies.

§. III.

De Tropis.

I. TRopus (Translatio) est *vox translata a propria significatione ad impropriam*.

II. Decem sunt Tropi : septem in uno verbo, sive Tropi verborum ; *Metaphora*, *Synecdoche*, *Metonymia*, *Antonomasia*, *Onomatopœia*, *Catachresis*, *Metalepsis* : tres in pluribus verbis, sive Tropi sententiarum ; *Allegoria*, *Periphrasis*, & *Hyperbole*.

EPI-

EPIMETRON.

Addunt nonnulli *Hyperbaton*, & *Ironiam*. Primum nos inter superiores Schematismos posuimus; alteram verò ad Sententiarum figuras, Auctores alios secuti, transferimus [tametsi, quatenus paucis verbis conficitur, posset hic collocari] Nec sanè mirum: inter Auctores siquidem parùm convenit. Ipse Cic. varius in præcipiendis figuris fuit, & discrepans sibi; ut notat Quintil. l. 9. c. 5.

I. Metaphora.

I. Est *Translatio propter similitudinem*. e. g. Quia Ira similis Igni est; ideò Iratum scitè *Ardentem* dixeris.

EPIMETRON.

1. Fit autem Metaphora, vel ob *Necessitatem* (cùm proprium vocabulum deest, ut, cùm *Gemmam* in vite dicimus) vel ob majorem *Expressionem*; vel ob *Delectationem*.
2. Delectat autem Metaphora 1. quia similitudine mirificè capimur. 2. quia plura sub oculos subijcit.

II. Quatuor sunt ejus species: sive quatuor modis deducitur.

1. Ab Inanimis ad Inanima: ut, *Gemmant* vites, *Pluunt* lacrymæ.
2. Ab Inanimis ad Animata: ut, *Tonare* minis, *Tumere* ambitione.
3. Ab Animatis ad Animata: ut, *Latrare* maledicentia, *Rugire* præ ira.
4. Ab Animatis ad Inanima: ut, Fluvius *mordet* ripas, Mare *osculatur* litora.

III. Ratio inveniendæ Metaphorę est 1. aptam similitudinem invenire. Sic, quia Flores sunt similes Stellis, gemmis, oculis; venustè appellabis, apposito epitheto florum proprio, Odorata telluris *astra*, vivas pratorum gemmulas, fragrantes veris *ocellos*.

IV. 2. Ratio. Genus sumere ejus rei, quàm metaphoricè vis efferre: e. g. Herois Constantiam, vel Fortitudinem laudaturus, recense quæ huic subsunt Generi *Fortis*: est Mars,

Leo,

Leo, Scopulus, Adamas, Arx, Quercus &c. sic appellabitur *Mars Austriacus*, *Leo Gallicus*, *Hispanus* &c. *Adamas infractus*, &c.

V. 3. Ratio. Transferre res proprias 1. unius sensus ad alium: ut, *Bibere* auribus voces, *devorare* oculis libros, &c. 2. unius elementi ad aliud; ut, Aves pennis in aere *remigant*, Naves in pelago *volant*. 3. Cœlestium ad Terrestria, & viceversa: ut, Lucidis Cœlum emicat *floribus*, Tellus odoratis vernat *Sideribus*. 4. unius Artis ad aliam, e. g. Bellicæ ad Nauticam, & v. versa: ut, Mare liquidis in Cœlum montibus *arietat*: & Belli *tempestate* Resp. *naufragat*. Est autem optimæ Signum Metaphoræ mutua usurpatio: e. g. Nix Montium *Canities*, Canities *Nix* comarum.

VI. 4. Ratio, & vividior, Idealem quasi personam in rebus effingens, sive dans animam, sensus, & corpus rebus [quod est, phantasia rem convestire] Ut, Pontem indignatur Araxes: sic dices Gladium *iratum*, cædis *sitibundum*: terram *postulantem* imbres, Jovi *supplicantem*, Telum *audiens* arcum, Parietes *gratias agentes*, Mortem *vellentem aures*, Fidem mœste *incedentem* Rivulum Mare *sperantem*, perinde ac si linguam, manus, pedes, aures, iram, spem, aliosque affectus habeant. Vide de Affectibus in 1. par. c. 4.

VII. Poteris in locum apertæ metaphoræ voces substituere Æmulationem, Imitationem, mendacium, falsitatem, furtum &c. significantes. Sic Tellus florida dici potest stellati *æmula* Cœli; *mentitis*, vel *falsis* stellis luxurians: Lilia argentum *lacessentia*, *imitata* pruinas, *non cessura*, *certantia*, *exprobrantia* nivibus: Rosa Auroræ *furata* faces, *provocans* Ostrum, *cognata* fulgens purpura: Uva pyropos *mentita*; Byssus *minitans* vincere olores: &c.

VIII. Hæc tamen poetica, & audaciora sunt. Sed enim in substantivis Nominibus audacior & fere poetica est Metaphora; in Adiectivus, & Verbis castigatior, ac verecundior.

IX. Cavenda est 1. *Asymmetria* (Nulla proportio) ut, *Tempestas* Caloris; *Montes* Belli fabricari. 2. quæ longius sit deducta:

ducta: ut *Charybdis* Bonorum, *Syrtes* Patrimonij. 3. Obscuritas; ut si Instabilem hominem *Cycladam* appelles. (Poterit tamen interdum quibusdam formulis emolliri: e. g. *Quasi*, *ut ita dicam*, *si ita loqui fas est*, &c.) 4. Nimis frequens Metaphoræ usurpatio; ut & ceterorum Troporum: obscurat enim, vel tædium parit.

EPIMETRON.

I. Materiam Metaphoris natura in primis suppeditat.

Cœlum: ut, *Stellata* floribus tellus; Ferrea telorum *diluvies*; *Tonat* rugitibus Leo; *Nube* tristitiæ premi.

Terra: ut, *Floret* exercitus armis, Resp. Civibus: *Pullulant* vitia; Forma *deflorescit*:

Elementa: ut, *Exundant* flammæ; *fluctuat* seges; *Incendium* communis fati.

Corpus: ut, Nemorum *Membra*, Arborum *brachia*, Navis *artus*; *Sanguis*, *nervi*, orationis.

Humores: ut, Doctrinam *instillare*, *flere* antra guttis; *rorare* oculos, *sudare* Balsama.

Qualitates; ut, *Frigida* oratio, *calida* preces; *candidus* sermo, *amara* dicta.

Tempus: ut, *Ver* ætatis, Senectutis *Hiems*; Vitæ *Aurora*, *Vespera*, *occasus*.

Motus: ut, *Labat* Spes, *Serpunt* rami, *irrepit* error, *volat* navis; mens *peregrinatur*.

Situs: ut, *Erectus* animus, mens *curva*, *jacens*; *humilis* stylus; *pendens* fortuna.

Locus: ut, Cœlestis *Patria*, Virtutis *Arx*, Eloquentiæ *culmen*, fraudum *cubilia*.

Figura: ut, Ingenium *acutum*, *obtusum*; *quadratus* homo; *Lunata* frons taurorum.

Lapides: ut, Cor *saxeum*: pectus *adamantinum*, digiti *marmorei*, vena *gemmea*.

Metalla: ut, Crines *aurei*, lilia *argentea*, sermo *ferreus*, *plumbea* mens, &c.

II. Ars verò, utpote perfectior [in qua videl. mens elucet humana] suggerit animosiores.

Agricultura: Discordias *serere*, vitia *eradicare* triumphos *metere*, *amputare pampinos* orationis.

Archi-

Architectura: *Machinari* dolos, *architectari* voluptates, opus *ad coronidem* perducere.

Arithmetica: Rem *ad calculos* revocare; dicta *in summam* colligere; argumenta *in numerato* habere.

Bellica: Constantiam *arietare*, iram *exarmare*, animum *expugnare*, literario *Marte certare*.

Fabrilis: Orationem *limare*, *tornare* periodos, Carmina *incudi* reddere.

Forensis: Conscendere rationis *tribunal*, *proscribere* ab oculis verecundiam.

Gymnastica: Cum fortuna *luctari*, *Quadrigas* eloquentiæ effundere; literaria *Palæstra*.

Oratoria: Belli causam *perorare* gladio; vulneribus pectus *inscribere*, Vitæ *periodum absolvere*.

Pictura: Orationem *colorare*, *pictissimus* stylus, simulationis *fuco* rem obtegere.

Piscatoria: Beneficia *expiscari*, in hostium *casses* incidere, promissis *inescare*.

Politica: Aves Aeris *Cives*, *Rebellare* rationi, cupiditatum *Seditionem* comprimere.

Venatoria: Gratiam *aucupari*, opes *venari*, dolis *irretire*.

Textrina: Negotia *ordiri*, Orationem *contexere*, *laciniam* dictis *assuere*, Vitæ *pensum* absolvere.


Nautica: Honori *velificari*, orationi *vela* pandere, ad *clavum* Reip. sedere.

Musica: Sibi blandius *accinere*, Virtutum *chorus*, Aves silvarum *choraules*.

Medicina: Curas *mederi*; Famæ, Amicitiæ *vulnera*, Consolationis *pharmacum*, Mens *convalescit*.

Mercatura: *Fœnerare* beneficia, *mercari* famam, Doctrinæ *merces* Eruditionis *census*.

Oeconomica: Ingenij *supellex*, Sapientiæ *penetralia*, Virtutis *incunabula*.



II. Sy-

II. Synecdoche.

I. SYnècdoche (Conceptio, Intellectio) fit 1. *Cùm pars pro toto sumitur*; sed pars insignior: ut *Puppis* pro Navi, *Tectum* pro Domo, *Caput* pro Homine; non *Pedes* &c.

EPIMETRON.

Huc revocantur 1. *Forma pro Concreto*: ut, *Anima* pro Vivente: *Vos, o carissimæ Animæ sæpiùs ad me scribite*. Cic. sic *Animæ virides* pro Plantis.
2. *Species pro Genere*; ut *Tigris* pro Fera; & *Peculiare pro Communi*; ut *Umber* pro Cane: hinc Epitheta, *Erymanthæus* Aper, *Nemeæus* Leo, *Sabellicus* Sus 3. *Singulare pro plurali*: *Miles*, *Hostis*, pro Militibus, &c. Spargere humum *viola*, *lacryma*: tondere *capillum*: abundare *hædo*, *ove*, *gallina*: &c. 4. *Numerus determinatus* pro indeterminato: *Sexcenta* pericula pro plurimis. *O terque quaterque beati*; &c. 5. *Modus existendi* pro ipso Existere; *& Agendi* pro ipso Agere: ut, Ossa in tumulis *albent*, pro *sunt*.

II. Fit 2. *Cùm Totum sumitur pro parte*: ut, *Fons*, vel *Flumen* pro Aqua: sic dicitur *Tiberim* bibere: *Fontemque*, ignemq; ferebant. [Virg.]

EPIMETRON.

Huc revocantur 1. *Genus pro specie*: ut *Quadrupes* pro Equo, *Bipes* pro Homine, *Pater* pro Jove. 2. *Plurale pro Singulari*: *O stultos Camillos, Curios, Fabricos!* & apud Poetas *Ora*, *Colla*, *Pectora*, *Corda*, &c. Gr. dicitur *Plethyticon*

III. Fit 3. *Cùm materia pro forma*: ut, *Ferrum* pro Ense, *Marmor* pro Statua.

EPIMETRON.

Huc spectat res, quæ scribitur, cogitatur, narratur, videtur, amatur, &c. pro ipsa scriptione, &c. ut, Multus recursat mente *pater*; plurimus in ore *filius*; frequens in chartis *Amor*; creber in plectris *Deus*; totus in oculis *Cæsar*; *Natus* in aure sonat.

IV. Fit 4. *Cùm Antecedens pro Consequenti*: ut, *Canit gallus*; h. Die-

h. Diescit: *Villarum culmina fumant*; h. Advesperascit.

EPIMETRON.

Huc refer, cùm dicitur *Navigat Bellum*, *Triumphus*, &c. pro Apparatu Belli, Triumphi, &c. Quanquàm hoc potest referri & ad Materiam.

III. Metonymia.

I. Metonymia (Transnominatio) fit, cùm sumitur 1. *Causa pro effectu*: ut, *Ver* pro floribus, &c. Sic *Vere* coronari; Ferre lancibus *Autumnum*; Gelidas potare *hiemes* &c.

EPIMETRON.

Huc refer 1. *Auctores* rerum pro rebus: Sic *Ceres* pro Pane, *Bacchus* pro Vino; *Pomona* onerare canistros; Neptunum miscere *Lyæo*; Pectus *Pallade* plenum: *Platonem* legere, *Romulum* adire, pro Romam: Scripta *Tullio* referta: In hac Sculptura multus elucet *Phidias*: plurimus in foribus *Dædalus*; 2. *Personam* pro ejus gestis: ut, si pervenit ad aures *Orithyia* tuas; h. *Orithyia* facta.

II. *Effectus pro causa*: ut, *Vulnus* pro Ense; *Crimen* pro Criminoso: ut illud *Crimine ab uno Disce omnes*. Æn. 2.

EPIMETRON.

Huc refer Epitheta vel Effectuum propria, apposita Causæ: ut, *Pallida* Negotia, Opes *Sollicita* [Pallor .n. est effectus Negotiorum, &c.] vel propria Causæ apposita Effectui: ut *Alata Vulnera* pro Sagittis: *pretiosa frigora* pro Marmore: utrobique enim venit Effectus pro Causa.

III. *Continens pro Contento*: ut, *Pateram* bibere [h. Vinum] *Ille impiger hausit spumantem pateram, & pleno se proluit auro*. Æn. 1. *Heu fuge crudeles terras, fuge litus avarum*. Æn. 3. *Hac Ianus summus ab imo Perdocet.* [Horat.] ubi *Janus* sumitur pro Fœneratoribus Jani templum incolentibus.

EPIMETRON.

Adijce *Adiunctum rei* pro ipsa re: ut, *O miseram Adolescentiam!* h. *O te miserum, Adolescens*. *Nomen* omne *Latinum* domare: h. Latium.

IV. *Pos-*

IV. *Possessor rei pro re*: ut, Jam proximus ardet *Ucalegon* (h. Domus Ucalegontis) Proterit imbellem sonipes hostilis *Orontem* [Claud.] h. Lyciam, cujus Orontes Rex erat. Sic Manere sub *Jove* frigido, pluvio &c. [h. sub Cœlo]

V. *Signum pro re significata*. Quò pertinent 1. Symbola rerum: ut, *Palma* pro Victoria, *Laurus* pro Poesi, *Fasces* pro Consulatu, *Sagum* pro Bello, *Toga* pro Pace, &c. 2. Stemmata gentium: ut *Aquilæ* pro Rom. Imperio, *Luna* pro Othomano, *Lilium* pro Florentia, *Lupa* pro Senis.

VI. *Instrumenta pro Artifice*: ut, *Quantum Ignes, Animæque valent*. Æn. (h. Ars fabrilis) Innocentia habitat inter *Aratra* [h. inter Agricolas]. Hinc Epitheta, Penicillus *doctus*, Calamus *eruditus*, Scalprum *celebre*; &c.

IV. Antonomasia.

I. ANtonomasia (Pronominatio) est cùm loco proprij nominis ponitur aliquid aliud; ex quo res, vel persona intelligitur: ut *Eversor Carthaginis* pro Scipione; *Exitium Troiæ* pro Achille.

EPIMETRON.

Huc refert 1. *Patronymica*: ut, *Saturnides* pro Jove, *Thaumantias* pro Iride, &c. 2. *Genus* absolutè positum ad significandam excellentiam: ut, *Magnus* pro Pompeio, *Orator* pro Cicer., *Philosophus* pro Arist., 3. *Patriam*: ut, *Itacbus* pro Ulysse, *Macedo* pro Alexandro, *Mantuanus* pro Virg. 4. *Nomen proprium* pro Appellativo: ut, *Cræsus* pro Divite, *Codrus* pro Paupere, *Sardanapalus* pro Voluptuoso.

V. Onomatopœia.

I. ONomatopœia [Vocis fictio]: ut, *Bombarda* a Bombo &c. (*Nova enim*, ut ait Cic. de Fin. & de Nat. *novis rebus imponenda sunt nomina*) Hinc voces Animalium; *Mugit* Bos, *Frendet* Aper, *Hinnit* Equus, *Rugit* Leo, Apis *Bombilat*, *Coaxat* Rana, &c. & sonus Instrumentorum; *Clangit* Tuba, *Boat* Timpanum, *Strepit* Cornu, *Stridet* Plaustrum, *Tinnit* Campana, &c.

EPI-

E P I M E T R O N.

Licet & fingere voces jocosas: ut, Aristophanes *Cophantoditalaecòporon*; Plaut. *Cluniflaridisarchides*; Scaliger, *Silonicaperones*, *Vibrissasperamenti*: & alia id genus sesquipedalia, sive Hamaxiæa (h. plaustralia) vocabula Charientismi, & risus gratia.

VI. Catachresis.

I. CAtachresis [Abusio vocis] cùm abutimur significatione rei alicujus ad aliam significandam: ut, *Parricida* pro Interfectore Matris, Fratris, Civis: *Carnifex* pro Latrone, *Periurius* pro Rebelli, *Tyrannus* pro Rege, &c.

E P I M E T R O N.

Huc refer 1. *Antiphrasin* [Contrariam locutionem] Sic dicitur *Bellum*, quia minimè bellum; *Parca*, quia minimè parcunt; *Luci*, quia minimè lucent: *Manes*, quia minimè boni [Olim .n. Bonum *Manum* dicebant; & *Manos*, vel *Manuos* Bonos, & Claros intelligebant: unde *Mane* Diei initium] *Eumenides*, quia minimè Benevolæ: nam *Eùmenos* græcè *Benevolum* significat. 2. *Acyrologian* [verborum absurditatem] ut, *Sperare* dolorem, pro Timere: *Promittere* ultionem; pro *Minari*: & *Minari* Opus, Munera, pro *Polliceri*; Morte aliquem *donare*, pro *Afficere*. &c.

VII. Metalepsis.

I. MEtalepsis (Transumptio) cùm dictio aliud a sua significatione ex ijs, quæ antecesserunt, significat: ut illud, *Post aliquot, mea regna videns, mirabor aristas*:] Ex Aristis enim Æstates, ex Æstatibus Annos intelligimus. Sic illa: *Speluncis addidit atris*. Per *Atras* Tenebrosas, per has Profundas intelligit.

EPIMETRON.

Sic dicitur *Consul*, vel *Fasces* pro Anno, & *Annus* pro Consulatu. Mart. *Bis jam pæne tibi Consul trigesimus instat*: & illud *Regnabunt Capuli*, [h. Fortiores] nam ex Capulis [Gladij manubrijs] ipsi Gladij ex his verò Bellatores significantur. Et Parasitis placet *Umbra decempeda* (h. Cœna) Nam ex Umbra Nox, e Nocte Cœnæ tempus: nisi mavis ad Synecdochen referre.

VIII. Allegoria.

I. ALlegoria (Inversio) cùm aliud verbis, aliud sensu ostenditur: ut illud, *Fluctibus in mediis Navem, Palinure, relinquis* (h. Amicum, Amice, deseris in ærumnis)

EPIMETRON.

Refer huc Proverbiales modos: ut, *Servire Scenæ*, *Herbam dare*, *Spartam ornare*, *omnem jacere aleam*, *omnem lapidem movere*, *velis, remisque contendere*; & alios quamplurimos; quorum Syllabon vide sub calcem Operis.

II. Cùm Allegoria sit Metaphora continuata, quo genere inchoatur translatio, eo desinere debet: quare vitiosa hæc erit: *In flagitiorum incendio naufragium facere*.

III. Si sit obscurior, *Ænigma* dicitur. Vide Allegoriam inter Figuras Sententiarum.

IX. Periphrasis.

I. PEriphrasis (Circumlocutio) cùm pluribus verbis explicatur, quod poterat paucioribus: ut, *Qui te genuit*, pro Tuus Pater. Sic Juno dicta *Coniux, & Soror Jovis*, Diana *Dea Venatrix*, Neptunus *Rex Pelagi*, Pluto *Fuscæ Deus aulæ*, &c.

EPIMETRON.

1. Debet autem esse paulò adstrictior: nam si quid redundet, in vitium *Perissologiæ* degenerat: obstat siquidem, quidquid non adiuvat.

2. No-

2. Nota horum vocabulorum diversam significationem: *Periphrasis* est Circunlocutio: *Phrasis* Elocutio, vel Sermo elegans: *Paraphrasis* Fusior explicatio: *Metaphrasis* est Traductio ab una ad aliam linguam: Hinc *Paraphrastes* Interpres latiùs exponens, non de verbo ad verbum; *Metaphrastes*, Interpres de verbo ad verbum.

X. Hyperbole.

I. Hyperbole (Superlatio) est *Sententia veritatis fidem excedens*. Fit autem vel rem extollendo: ut, *Nive candidior*; vel deprimendo; ut *Brevior Pygmao*.

II. Debet esse ultra fidem, non verò ultra modum: cujusmodi militum gloriosorum in fabulis; qui *uno Spiritu diflant legiones*.

III. Emollienda est aliquando per particulas, *Penè*, *propemodum*, *quasi*, &c. ut si ad significandum quempiam ab aliquo periculo emersum, dixeris *Pane ab Acheronte excitatum*.

EPIMETRON.

1. Hyperbolen sapiunt Proverbiales quædam formulæ: ut *Iliadem malorum pati*; *Cœlum digito attingere*; *Albis Jovis quadrigis præcurrere*: *Opus, quod ne Momus quidem carperet; quod Livor ipse laudaret*: *Quem ne Mars quidem expugnaret*: *Qui vèl Argum falleret*: *Quod ne Pitho quidem ipsa persuaserit*. &c.

2. Modi quidam superlativi: *Omnium Pater Esuritionum* pro Esurientissimo: *In fastigio Eloquentiæ stare*, pro Eloquentissimo.

3. Modi quidam alij Comparativi: *Audacior Icaro*, *Avarior Euclione*, *Clamosior Stentore*, *Castior Penelope*, *Craso ditior*, *Nestore facundior*, *Insanior Oreste*, *Dadalo ingeniosior*, *Mordacior Momo*, *Phœnice rarior*. &c.

4. Similem vim habet, cùm ei, quem laudamus, aut vituperamus, nomen illius appingimus, qui in eo genere excelluit; *Archimedes alter* pro Mathematico, *Sinon alter* pro fraudolento, *Protheus recens* pro Mutabili, *Thersites novus* pro Deformi &c.

5. *Adynaton* (Impossibile) huc referri potest: ut, *Ante leves ergo pascentur in æthere Cervi, quam nostro illius labatur pectore vultus.*

§. IV.

Figuræ Verborum (gr. Lexeoschemata.)

I. FIgura [ut diximus] est *Elegantior loquendi modus a communi sermone recedens.*

II. Duplicis est generis; *Verborum*, de qua nunc; & *Sententiarum*, de qua postea.

III. Figura Verborum ea est, *Quę in verbis tantùm dignitatem habet*. Differt a Tropis, quod hi non nisi improprijs vocibus, hæc & proprijs constare potest. Coeunt tamen frequenter utrique, Figuræ, & Tropi.

IV. Omnis autem Figura, & Tropus, parcè, & variè usurpata jucundam efficit orationem: immodicè, & sine varietate, gratiam adimit: intellige de Nobilioribus; nam usitatiores, si crebræ sint, modò variæ, aures non offendunt.

V. Figura Verborum quatuor fit modis; per *Additionem*, per *Detractionem*, per *Similitudinem*, per *Dissimilitudinem* (Quę Divisio cum nonnullis Auctoribus mihi magis arridet.)

PER ADDITIONEM.

I. Repetitio [gr. Anàphora, Epanàphora.]

I. ESt, *cùm ab eadem voce membra, vel incisa Periodi inchoantur.* Quo fit, ut acrior, & vehementior sit oratio. Variæ autem sunt ejus formæ.

II. Incisim: ut, *Nihil* agis, *nihil* moliris, *nihil* cogitas, quod ego non viderim [Cic. Catil.]

III. Membratim: ut, *Quid tam populare*, quàm Pax, qua &c. *Quid tam populare*, quàm libertas; qua &c. *Quid tam populare*, quàm Otium, quod &c. (Quæ forma dicitur *Epìbole*, *Epistrophe*, *Epìphora*.]

IV. Ter

IV. Ter variata: *Quid* hæc amentia, *quid* hæc festinatio, *quid* hæc immaturitas tanta significat? *Non* vim, *non* scelus, *non* latrocinium, *non* denique omnia potiùs, *quàm* jus, *quàm* officium, *quàm* pudorem?

V. Alternatim varia per Antithesin: *Accusant ij*, qui fortunas ejus invaserunt; *causam dicit is*, cui nihil, præter calamitatem reliquerunt: *accusant ij*, quibus occidi patrem Sex. Roscij bono fuit; *causam dicit is*, cui non modò luctum mors patris attulit, verùm etiam egestatem: *accusant ij*, qui plagam inflixere; *causam dicit is*, qui accepit.

VI. Per Subiectionem. *Ad vadimonium non venit.* Quis? Propinquus. Si res ista &c. *Ad vadimonium non venit.* Quis? Socius. Etiam gravius &c. *Ad vadimonium non venit.* Quis? Qui tibi semper præsto fuit &c.

EPIMETRON.

Nota. Repetitio ejusdem versus, dicitur *Epimone*: sive *Embolismus*, & *Versus Embolimaus*.

II. Conversio (gr. Antistrophe, Epistrophe, Systrophe.)

I. Est *cùm eodem verbo Incisa, vel Membra Periodi terminantur*.

II. Per Incisa. Illud ex te audire cupio, quare cùm ego te *defenderim*, non rogatus *defenderim*, immeritum *defenderim*, periculo meo *defenderim*, tu horum omnium immemor me oppugnas.

III. Per membra. Doletis tres exercitus Populi Rom. interfectos? Interfecit *Antonius*. Desideratis clarissimos cives? Eosquoque eripuit vobis *Antonius*. Auctoritas hujus Ordinis afflicta est? Afflixit *Antonius*. Hanc Rutilius *Epiphoram* appellat.

IV. *Epistrophe* propriè est Reversio: Virg. Similis si cura *fuisset* Tuncquoque fas nobis Teucros armare *fuisset*.



III. Complexio [gr. Symploce, Cœnòtes.]

I. REpetionem complectitur, & Conversionem: *cùm videlicet Orationis membra eodem verbo incboantur, eodemque desinunt*. Commode autem fit per figuram Subiectionis. Exemplum.

II. *Qui sunt*, qui fœdera sæpe ruperunt? *Carthaginienses*. *Qui sunt*, qui Italiam deformaverunt? *Carthaginienses*. *Qui sunt*, qui sibi postulant ignosci? *Carthaginienses*.

III. Hoc Schema, ut etiam superius, parcè est adhibendum; quia nimis enucleatum; & apertè incurrit in oculos.

IV. Conduplicatio [gr. Diplòsis, Anadiplòsis.]

I. C*Um idem verbum vel initio, vel in medio, vel in fine Orationis geminatur*, affectus exprimendi gratia. Sint exempla.

II. Initio. *Crux*, *Crux*, inquam, infelici, & ærumnoso. *Vivis*, & *Vivis* non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam.

III. In medio. 1. per *Diàcopen* (Intercisionem) ut, *Divum* inclementia, *Divum*, Has evertit opes. 2. Interiectu *Parenthesis*. *Bona* (Miserum me! consumptis enim lacrymis tamen infixus animo hæret dolor] *Bona*, inquam, C n. Pompeij fuere acerbissimæ voci subiecta præconis. 3. per *Epizeuxin*, geminando cum impetu, & emphasi; ut, *Me me*: adsum, qui feci: in *me* convertite ferrum. Æn.

IV. In fine. 1. per *Epanalepsin* [h. eorundem eodem ordine verborum post multa interiecta repetitionem) ; ut, *Quid Cleomenes facere potuit* (non enim possum quenquam insimulare falsò] *Quid*, inquam, *Cleomenes facere potuit*? & Martial. *Phosphore, redde diem*: quid gaudia nostra moraris? Cæsare venturo, *Phosphore, redde diem*. 2. per *Epanadiplòsin* (cùm idem verbum in eadem sententia est primum, & ultimum] ut *Multi*, & graves dolores inventi parentibus, & propinquis *multi*. Quæ per *Apophàsin* [Negationem] est elegantior; *Ademit* Albino Soceri nomen mors filiæ; sed

cha-

charitatem, & benevolentiam *non ademit*. Adhuc elegantior per *Erotèsin* [Interrogationem] *Sustulit* diem fortuna populi Rom.: num etiam tuum de Auspiciis judicium *sustulit*? 3. per *Plocen* [mutato ordine verborum] *Commotus non es*, cùm tibi mater pedes amplexaretur? *Non es commotus?* 4. per *Anapodismum* (Regressum) cum mutatur ordo verborum, & sententiarum. *Quia res indigna sit*, ideo turpem existimationem sequi: quia turpis existimatio sequatur, ideo *indignam non vindicari*.

EPIMETRON.

Sunt & alia Schemata, quæ ad Conduplicationem referuntur.

1. *Epànodus* [Regressus] cùm duobus, vel pluribus propositis ad singularem enarrationẽ recurrimus: *Divellimur inde Iphitus, & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo iam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulyssi.* Æn. 2. Appellatur hæc Figura etiã *Prosynapanthèsis*.
2. *Diàphora* (Differentia) cum verbum iteratum alium sensum habet: ut, Cuius ærumnæ quenvis *hominem*, modò *hominem*, commoverent.
3. *Palinlogìa* [Iteratio] cùm verbum ultimum in prima sententia, in altera est primum Æn. 2. Deiphobum vidi lacerum crudeliter *ora*, *Ora* manusque ambas, &c.
4. *Parèmbole* (Similium interpositio) ut *Armatorum* ad *armatos*, *inermium ad inermes*, &c. Cùm autem est Dissimilium, dicitur *Parentaxis*.
5. *Chiasmus* seu *Chiaston* [Decussatio] ita appellata a græca litera X. ut, *D. Augustinus Sanctorum doctissimus, Doctorum Sanctissimus*. Quatuor .n. constat terminis; quorum quartus respondet primo, tertius secundo.
6. *Plecton* (Textura) cùm sunt implexæ sententiæ: ut, Inter *Nobiles Sapiens*, *inter sapientes nobilis*. [Chiasmo simile]
7. *Streptòlyton* sive *Diallèlon* [Reciprocatio] ut, *Ille est, ut Iustis fortior, sic Fortibus justior; vel potiùs Iustis justior, & Fortibus fortior*. Chiasmo, & Plecto simile.

8. *Ana-*

8. *Anapilèsis* [Correlatio] ut, Orator *probet*, *delectet*, *moveat*: *Probare* necessitatis est, *Delectare* suavitatis, *Movere* Victoriæ.

9. *Synatræsmus* [Congeries] ut, *Pulchra Rosa in prato, Nube Iris, in æthere Phoebus: Pulchrior at Virtus Iride, Sole, Rosa.* Quę ęt *Sylloge* (Collectio) & Carmen Analecticō.

10 *Antistasis*. (Reluctatio) cùm idem repetitur contrario sensu: ut, *Una salus Victis, nullam sperare salutē.*

V. Traductio [gr. Polyptòton]

I. Cum eadem verba paululùm immutata ponuntur: ut, *Pleni* sunt omnes libri, *plena* Sapientum voces, *plena* exemplorum vetustas. *Spectat* te Patria, *spectant* Cives, *spectamus* nos Consules, *spectabit* Posteritas.

EPIMETRON.

Est & *Paregmènon* [Derivatio] cùm ex aliquo verbo aliud derivatur: ut, Ipse *gravis*, *graviterque* ad terram pondere vasto Concidit. Æn. 5. Oppetere *ingentem*, atque *ingenti* vulnere victum.

VI. Gradatio (gr. Climax)

I. *Cum ab uno ad aliud fit progressio, aliquam ex prioribus vocibus repetendo*: ut, Africano *virtutem* industria, *virtus gloriam*, *gloria* æmulos comparavit. In urbe *luxuries* creatur, ex *luxurie avaritia* existat necesse est, ex *avaritia* erumpit audacia.

EPIMETRON.

Appellatur *Epìploce* (Implicatio) cùm ex una sententia oritur alia: ut, Hostis armatus meam *venit* domum; cùm *venisset*, *expilavit*; *expilata* domo familiam *abstraxit*; *abstractam* tormentis omnibus excruciavit.

II. Ejus usus rarior sit oportet, ne affectata videatur oratio.



VII.

VII. Synonymia (Nominis communio.)

I. *Cum plura verba idem significantia coacervantur;* ad vim orationi addendam.

II. Exemplum illustre Tullij, in Catil. Illum tandem aliquando furentem audacia, scelus anelantem, pestem Senatui nefariè molientem, bonis omnibus exitium machinantem, vel emisimus, vel ejecimus, vel exeuntem prosequuti sumus: abiit, excessit, erupit, evasit: illum redire non feram, non patiar, non sinam.

III. Nisi crescat oratio, Puerilis erit Figura.

VIII. Polysyndeton [Coniunctionum frequentatio)

I. *Cum crebra in oratione sunt Coniunctiones.* ut, Teque, tuique similes, tibique charos, & aspernor, & aversor, & execror. Et Virg. *Tectumque, laremque, Armaque, Amyclaumque canem, Cressamque pharetram.*

EPIMETRON.

Cùm verò plures Sententiæ convenienti articulorum copia continentur, dicitur *Polysyntheton*: ut, Quod in Catullo, *&*, in filio, *itemque* in Quinctio: Ille hunc pœna constrictum habebat; hic *autem* vociferabatur; concursus *verò* non mediocris; cùm *tamen* omnes opitulari vellent; *sed* nemo auderet.

IX. Subiunctio [gr. Hypozeuxis.]

I. *Cum singulis rebus, vel sententijs singula verba iunguntur:* ut illud Licentij de Proteo: Spumat aper, *fluit* unda, *fremit* leo; *sibilat* anguis. Cic. Ab his studijs nullo me unquam tempore aut otium *abstraxerit*, aut voluptas *evocarit*, aut somnus *retardarit*.

II. Cùm verò singulis nominibus epitheta connectuntur, appellatur *Schesis-onòmaton*: ut, *Marsa* manus, *Peligna* cohors, *festina* virum vis. (Exemplum est a Beda allatum lib. de Tropis, & Schematis Sacræ Scripturæ).

PER

PER DETRACTIONEM.

X. Synècdoche (Defectio.)

I. CUm verbum quodpiam reticetur, quod facile intelligitur: e. g. Tumultuare famuli, lugere ancillæ, mœrere filij, conjux misera lamentari. Subaudi *Cœperunt*. Cic. in Verr. Dies unus, alter, tertius: non reverti, &c.

II. Per *Parenthesin*. Ovid. . . . Me tibi venturam comitem, quocumque vocaris, sive (*quod heu! timeo*) sive superstes eris. [Subaudi, sive *eris mortuus*] nisi mavis ad figuram *Reticentia* referre.

XI. Adiunctio [gr. Zeugma.]

I. C*Um plura uno connectuntur verbo* nihil immutato. Pluribus autem fit modis, & diversa sortitur vocabula.

II. Si verbum ponitur in principio, dicitur *Protozeugma*: ut, *Vicit* pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia. Si in medio, *Mesozeugma*: ut, Formæ dignitas aut morbo *deflorescit*, aut vetustate. Si in fine, *Hypozeugma*, sive *Hysterozeugma*: ut, Neque te aut pudor a turpitudine, aut metus a periculo, aut ratio a furore *revocavit*.

EPIMETRON.

1. Quando breviter diversa multa coniunguntur, appellatur *Antizeugmènon*: ut, *Ordo humilis, fortuna sordida, natura turpis, a laude abhorret*.
2. Quando diversis rebus diversa verba adiunguntur, *Diezeugmènon*: ut, *Capuam colonis occupabit, Atellam præsidio communiet, Nuceriam multitudine obtinebit, cetera oppida præsidijs devinciet*. (Verùm hoc pertinet potiùs ad *Subiunctionem*.)
3. Huc potest referri & *Apòstasis* [quam vide §.2.n.4.] & *Paradiastole* [n. 25.]



XII.

XII. Synœceòsis, sive Diàllage [Conciliatio]

I. *Cum duo diversa, vel opposita uno verbo colligantur* : ut, Tam deest Avaro quod habet, quàm quod non habet. Est Vita Misero longa, felici brevis.

II. Cùm res diversæ communi opinioni adversantes conjunguntur, dicitur *Systevasis*.

XIII. Asyndeton (Dissolutio)

I. *Cum demptis coniunctionibus multa copulantur*. Exemplum illustre Tullij.

II. Hæc studia Adolescentiam alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

III. Dicitur etiam *Asyntheton*, & *Diàlyton*, sive *Diàlysis*.

XIV. Relatio [gr. Palindromìa]

I. *Cum plura verba verbis pluribus, eodem ordine referuntur*. Ut illud de Virgilio.

Pastor, arator, eques; pavi, colui, superavi;
Capras, rus, hostes; fronde, ligone, manu.

PER SIMILITUDINEM.

(Hæ plus ad delectationem conferunt, quàm ad motum)

XV. Paranomasia [Agnominatio]

I. *Cum voci vox similis dissimili sensu subiungitur.* Fit autem pluribus modis.

1. Adiectione : ut Multas *Calamus* peperit *Calamitates*.
2. Detractione ; ut Urbium *Securitas* est *Securis*.

3. Com-

3. Commutatione : ut *Orator* fuerat . *Arator* nunc factus. Quæ *nocent*,*docent* [quæ ab aliquibus *Paromœon* vel *Paronymia* appellatur.]

4. Transpositione ; sive Anagrammatismo : ut Gemma Deus : pretium vis scire , ut *ematur ? Ametur* . *Maria* quod gerit in Nomine poscit , *Amari* .

II. Anagramma diversa quidem debet significare; sed ita ut rei , vel personæ conveniat : ut , *Divus Alexius* : *Diu exul a suis* . *Maria Magdalena* : *Grandia mala mea* .

III. Delectat ; & ferit hoc Schema , si in loco usurpetur : secus frigidiusculum est .

EPIMETRON.

1. Ad Paronomasiam referri potest 1. *Diàlysis* (Divisio) ut *Senescit : Se Nescit* . *Summus* ; *Sum Mus* . 2. *Anàlysis* (Resolutio) cùm resolvuntur Elementa nominis : ut *Adam* ; quod resolutum quatuor mundi partes significat : A. *Anàtolin* (Orientem) D. *Dysin* (Occasum) A. *Arcton* [Septentrionem [M. *Mesembrian* [Meridiem .] 3. *Echo* . Echo autem est *Vocis repercussio* ; sive postremarum syllabarum , vel literarum repetitio : e. g. *Implorare* , *Plorare* . Magnus , *Agnus* . Clamor , *Amor*. Debet autem esse rei conveniens. Scitus est lusus ille , quo verus Amicus dignoscitur , Echone tergeminata; Amore , *more* , *ore* , *re* . Sed hæc Poetica .

2. Anagramma, Tormentum ingenij, Lusus fortunę; ac proinde improbus labor ; duplex est . 1. *Grammaticum* (seu Literarium) fitque literarum trajectione; ut dictum est : cujus dotes *Brevitas*, *Claritas* . & *Aptitudo* ; ut in allatis exemplis 2. *Arithmeticum* [seu Numerale] cùm numeri unius vocis respondent numeris vocis alterius. Valor autem literarum hic est . A. computat 1 . B. 2. & deinceps usque ad K. 10. L. computat 20. M. 30. usque ad T. 100. V. Computat 200. usque ad Z. 500. Sic JESUS. 394.& DEUS ES. 394. æquipollent. Fit etiam solis literis numerum Romanum significantibus . Hinc Anagrammata Chronologica (Tempus denotantia .)

Sic

Sic in hoc disticho Annum invenies, quo Clemens XI. P. M. est creatus, h. 1700.

CLeMens aLban Vs LatIa CeLebratVs In Vrbe
LVX VatICano sVLgVrat In soLIo.

XVI. Similiter cadens (gr. Homœoptòton.)

I. CUm nomina in eosdem casus, & verba in eadem tempora cadunt.

II. Exempla Quid tam commune, quàm spiritus *vivis*, terra *mortuis*, mare *fluctuantibus*, litus *eiectis*? Hunc ego non *diligam*? non *admirer*? non omni ratione defendendum *putem*?

XVII. Similiter desinens (gr. Homœoteleuton.)

I. C*Um membra, vel incisa ijsdem syllabis finiuntur.* Exemplum Tullij.

II. Tam felix Imperator est, ut ejus semper voluntatibus non modò Cives *assenserint*, socij *obtemperarint*, hostes *obedierint*, sed etiam venti, tempestatesque *obsecundarint*.

III. Cavendum tamen, nè in continuatum Rhythmum desinat.

XVIII. Compar [gr. Isocòlon.]

I. C*Um paria sunt membra orationis.* Mirè confert ad numerum, & concinnitatem Periodi. Exemplum Tullij.

II. Bellum Pompeius *extrema hieme apparavit*, *ineunte vere suscepit*, *media æstate confecit*.

EPIMETRON.

1. Cùm sunt fere æqualia, dicitur *Pàrison*.
2. Cùm paria sunt membra, sententiæ diversæ, dicitur *Isolecton* [h. Æquidicum] ut, *Alba ligustra cadunt, vaccinia nigra leguntur*.

Hos urget Charitas, illos urit Invidia; huc trahit Petulantia; hinc retrahit Verecundia. Quod pertinet ad sequentem Figuram.

3. Cùm

3. Cùm latera omnia sunt æqualia dicitur *Isopleuron* (h. Æquilaterum.)

PER DISSIMILITUDINEM.

XIX. Antithesis [Oppositio, seu Contentio.] Sive Antitheton (Contrapositum.)

I. *Cum verba verbis, aut Sententiæ sententijs opponuntur;* ut, Ovidiana illa,

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus. Met. 1.

& Senecæ in Hippolyto: *Curæ leves loquuntur, ingentes stupent.*

II. Cic. sic definit: esse Cum verba verbis, vel singula singulis, vel bina binis, vel terna ternis opponuntur; ut in Ciceronis ipsius exemplo, quod hæc omnia complectitur, videre est. 1. Est enim hæc non *scripta*, sed *nata* lex: 2. ad quam non *docti* sed *facti*, non *instituti*, sed *imbuti* sumus: 3. quam non *didicimus*, *accepimus*, *legimus*; verùm ex natura ipsa *arripuimus*, *hausimus*, *expressimus*.

III. Cavendum 1. nè Antitheta [h. Contraposita] sint longè petita, sive arte quæsita: 2. nè frequentetur nimis hæc Figura: quod est Puerile.

EPIMETRON.

Huc referri possunt.

1. *Paradiastole* (Disiunctio) cùm unum in plura velut opposita dividitur: ut, si de Rege filium punituro dixeris: *Pugnat in illo & Pater, & Judex:* & illud Senecæ de Medea: *Ira discessit loco; Materque tota Coniuge expulsa redit:* tanquam si duo essent. Vel cùm idem Agens & Patiens ostenditur; ut Mart. *Thaida Thais olet.* Hæc videlicet Ingenij vis, & subtilitas est; scire unum velut in plura dividere: itemque plura in unum coniugere. Hinc.

2. *Synoeceosis* (h. rerum diversarum conjunctio, vel *Synocoesis* [Cohabitatio] cùm opposita in unum co-

conjungimus: e. g. *In Christo Fortitudini Infirmitas, in Deipara Foecunditati Virginitas copulatur.* Vel strictiùs.

3. *Oxymòron* (Acutè fatuum) ut, *Foecunda Sterilitas, Omnipotentia infirma, Felix calamitas, Sapiens Stultitia, &c.*

4. *Enagònion*, seu *Diagònion* (Contrariorum pugna) ut, *Hinc urget Amor, hinc odium. Ignotos notis, iniquos æquis, impios religiosis anteferre.*

5. *Antistasis* [Reluctatio] Cùm idem repetitur contrario sensu: ut illud Æn... *Una salus victis, nullam sperare salutem.*

6. *Symbole* [Collatio] cùm comparantur dissimilia: ut, *Conferte hanc pacem cum illo bello, hujus Imp. adventum, cum illius victoria.* Fitque quoddam quasi *Parallelon* [h. Æqualiter distans] inter opposita.

7. *Antimetàbole* (cùm verba vel sententiæ ex adverso mutantur] ut, illud D. August. *Vomunt ut edant, edunt ut vomant.* Et illud Chilonis, *Ames ut osurus, oderis ut amaturus.* Appellatur etiam *Metàthesis.*

8. *Apòphasis* [Negatio] ut *Docta indoctè scribere.* Et Mart. *Vare, nihil recitas: non sapis, atque sapis. Frigida es, & nigra es: non es, & es Chione.* [*Chione* enim, Mulieris nomen, *Niveam*, sive *Candidam* seu *Niveam*, significat.

9. *Isolecton* (Æquidicum) cùm in sententijs oppositis membra sunt paria. De qua supra dictum est in *Isocòlo*.

10. *Synerisis* [Comparatio rerum, & personarum contrariarum] ut, *Ego plector, quod tu peccas, Tu delinquis ego arguor.*

§. V.

Figuræ Sententiarum (gr. Dianœæ.)

I. Figuræ Sententiarum eæ sunt, *Quæ non tam in verbis, quàm in sententijs dignitatem habent.*

II. Hoc

II. Hoc est autem oratorie dicere; nempe specie aliqua sententias illuminare: Quo in genere excelluit Demosthenes; ideò *Oratorum Princeps* meritò nuncupatus.

III. Has ad usum Tironum ex Alphabeti ordine collocamus.

I. Allegoria [Inversio]

I. CUm aliud verbis, aliud sensu ostendimus. Hujus duplex est genus.

II. Altera est *Simplex*; cùm res significata non exprimitur: ut, *Cùm magnas subijsset tempestates, naufragium fecit*: ut significes, aliquem post multas calamitates bona omnia amisisse. Id genus sunt quàm plurimi Proverbiales modi. Est insigne apud Horat. exemplum l. 1. od. 12. de Rep. & Bello Civili sub Navis metaphora. *O Navis referent in mare te novi Fluctus.* &c.

III. Altera est *Mista*; Cùm exprimitur res significata: Cic. in Pisonem. Neque tam fui timidus, ut, qui in maximis turbinibus, ac fluctibus *Reipublicæ* Navem gubernassem, *frontis* tuæ nubeculam, vel *Collegæ* tui contaminatum spiritum pertimescerem.

EPIMETRON.

1. Allegoria simplex, siquidem sit obscurior, *Ænigma* dicitur (h. Involucrum) ut illud Vidi *Carnem humanam ossibus ludentem in campo ligneo* (h. Manum talis, seu tesseris ludentem in abaco): & Plautinum illud, *Ubi vivos homines mortui incursant boves* (h. fustes e nervis bovillis) quodque olim Sphinx (Monstrum apud Thebas fabulosum) prætereuntibus proponebat: nempe *Quod nam Animal mane quadrupes, meridie bipes, vespere autem tripes?* Quod Oedipus sic dissoluit: hoc Animal esse Hominem, *mane* (h. in Infantia) *quadrupedem* (h. pedibus, manibusque reptantem) *meridie* [h. in virili ætate] *bipedem* [h. suis pedibus nitentem] *vespere* (h. in senectute) *tripedem* [h. scipione assumpto incedentem]. Horum usus erat olim in Convivijs; ut illud Samsonis: & *Griphi* (h. Problemata Convivalia dicebantur.

2. Mo-

2. Modus allegoricè scribendi elegantissimus, modò non nimis frequens, est per eruditionem: e. g. *Egregius Vir, alter Æneas, cum aureo pretiosi Ingenij ramo, duce Sibylla, nempe Sapientia, ad Elysios Felicitatis, & Gloriæ magnanimum iter intendit.*

3. Cùm Rhetoricè scribere, ad Dialecticæ discrimen sit *Addere Phantasiam Rationi*, maximam energiam habent quædam formulæ, apud Tullium usitatæ: e. g. *Illi meum reditum flumine sanguinis intercludendum putarunt.* (pro Domo sua)

4. Neu religioni tibi duxeris, aliquid in Oratione poeticum, modò cum quadam verecundia, interserere: ut si Fidem inducas in litore Anglico mœstè incedentem, palla scissa, lacrymis perfusam, &c. Dionysius Halicarnassæus, optimam Orationem Poesi simillimam esse contendit; nisi quòd Poesis audacior, Oratio verecundior.

II. Apostrophe (Aversio)

I. Cum ab Auditoribus ad alium vel præsentem, vel absentem, seu vivum, seu mortuum, aut etiam res inanimas sermonem convertimus. Exemplum Tullij.

II. Quid enim, Tubero, tuus ille districtus in acie Pharsalica gladius agebat? Cujus latus ille mucro petebit? &c. Te nunc, Scipio, te, inquam, lectissimum Adolescentem appello. Vos enim, Albani tumuli, atque luci; vos, inquam, imploro, & obtestor &c.

III. Valet ad invadendum Adversarium; ad vituperationem, laudem, miserationem, indignationem, admirationem, cohortationem, increpationem, &c.

IV. Rariùs usurpanda (nam crebrior friget) rarissimè in Exordio; nisi ex abrupto inchoetur.

EPIMETRON.

Allocutio, Appellatio, si præsertim fiat cum Exclamatione, dicitur *Prosphonèma*. *Prosphoneticè* autem est Exclamatoriè; *Prosphonetica* Allocutoria, Appellativa.

III. Auxesis (Incrementum.)

I. EST, *per quam oratio semper crescit*, addens aliquid ad antecedens. Exempla Tullij.

II. *Facinus* est, vinciri Civem Rom. *Scelus* est, verberari; prope *Parricidium*, necare: quid dicam, in crucem tollere?

III. Per *synatroesmum* (Congeriem) maximè amplificat. *Miserum* est, exturbari fortunis omnibus; *miserius*, injuria; *acerbum* est, ab aliquo circumveniri, *acerbius* est, a propinquo; *calamitosum* est, bonis everti, *calamitosius* cum dedecore; *funestum* est, ab honesto viro jugulari, *funestius* ab eo, cujus vox præconio quęstu prostitit; *indignum* est, a pari vinci, aut superiore, *indignius* est ab inferiore; *luctuosum* est, tradi cum bonis; *luctuosius* inimico.

IV. Huc pertinet *Miosis* [decrementum] cùm oratio semper ad minora descendit, & quasi decrescit, quò magis extet id quod intendit: ut videre est in hoc Tulliano exemplo. Si hæc non ad *Cives Rom.* non ad *amicos* nostræ civitatis, non *ad eos*, qui populi Rom. nomen audissent; denique non ad *homines*, verùm ad *bestias*, aut etiam ad *Saxa*, & *scopulos* conqueri vellem, tamen &c. commoverentur: nunc verò cùm loquar ad *Senatores* populi Rom. &c., timere non debeo?

V. Valet mirificè ad amplificandum.

EPIMETRON.

Est huic opposita *Leptiosis* (Diminutio) cùm quæ magna vel sunt, vel videntur, dicendo extenuamus: ut cùm Orator Crimen ab Adversarijs exaggeratum, vel suas ipsius laudes, deterit; verbis præsertim diminutivis. Ab ijsdem autem sumitur locis, a quibus Amplificatio.

IV. Communicatio [gr. Anacoenosis.]

I. CUm ipsos Adversarios, vel Judices, vel Auditores, quid sit faciendum, consulimus.

II. Ci-

II. Cicero. Nunc ego vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Tu denique, Labiene, quid faceres tali in re, ac tempore? Quæro a vobis, Judices, &c. profectò si rectè vestram prudentiam agnovi, non multùm me fallit, quid sitis responsuri.

III. Valet ad refellendum Adversarium.

IV. Potest & seipsum consulere Orator: e.g. Potero ne animadvertere in eos, qui &c. valetque ad deliberandum. Videtur tamen hoc referri posse ad Dubitationem.

V. Concessio [gr. Dosis.]

I. CUm Orator aliquid Adversario concedit, fiduciæ causâ; quòd se adhuc superiorem fore confidat. Figura Transitionibus idonea. Exprimitur autem particulis *Esto*, *Sit ita*, *Fac*, &c. Accipe formulas quasdam ex Tullio.

II. Verùm, quoniam tu id concedi postulas, concedamus. Tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo jure decedam; & tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam. Sed sanè sint paria omnia. . . . quid? in ista Prætura nihil existimas inter tuam, & illius sortem interfuisse? Sit fur, sit sacrilegus, &c. & est bonus Imperator, & felix &c.

III. Per Ironiam miram vim habet. Cic. sed sit beneficium, quod me non occideris, quando accipi majus a latrone non potuit, &c.

IV. Cùm quid etiam iniquum conceditur, fiduciæ causa, dicitur *Synchorèsis*.

V. Cum quid conceditur, deinde infertur aliquid majus, quod omnia infirmet, dicitur *Paromologìa* [Confessio]

VI. Correctio [gr. Catorthòsis, Epanorthòsis.]

I. CUm verbum, aut sententia retractatur, & alia magis idonea corrigitur: sitque per particulas *Si*, *Si tamen*, *Nisi forte*, *quanquam*, *Imo*, & similes.

II. Cic. Atque hæc Cives, Cives, inquam, *Si* hoc eos nomine appellare fas est, hæc de Patria sua cogitant. O stultitiam

tiam! ſtultitiã ne dicã an Impudentiã ſingularem? Cui bono benedixit unquam? *Imo* quem bonum civem non eſt inſectatus? In exercitu comparando patrimonium ſuum effudit: *quanquam* non ſumus uſi eo verbo, quo decuit; non enim effudit: ſed in ſalute Reip. collocavit. &c.

E P I M E T R O N.

1. Quæ ante dicti acerbitatem præmunit auditores, dicitur *Prodiorthòsis* [Præcedens Correctio] Quæ verò orationem duriùs prolatam corrigit, & mitigat, dicitur *Epidiorthòsis* (Correctio ſubſequens.) Quæ prœmunit antequam dicatur, & poſt prolatam mitigat dicitur *Amphidiorthòsis*.

2. Cum ſe ipſe Orator reprehendit, & ſententiam retractat, eſt *Metanœa*. (Pœnitentia, Reſipiſcentia) ut, *Sed quid ego ita gravem perſonam induxi?* &c.

3. Deſcriptio rerum per Reprehenſionem dicitur *Aphoriſmus*, *Dioriſmus*: ut, *Quanquam* illa non pœna, ſed prohibitio ſceleris fuit. Cic.

VII. Deprecatio, vel Obſecratio [gr. Deèsis.]

I. Cum alicuius opem imploramus. Exempla Tullij.

II. Hoc nos primùm metu, Cæſar, per fidem, & conſtantiam, & clementiam tuam libera &c. Per dexteram te iſtam oro, quam Regi Deiotaro hoſpes hoſpiti porrexiſti &c. Quid reſtat, niſi ut orem obteſterque vos, ut eam miſericordiam tribuatis fortiſſimo viro, quam &c.? Vos per mea ſumma in Remp. diligentia moneo, pro auctoritate conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, ut &c. Quæ cùm ita ſint, primùm ab Jove Maximo, ceteriſq; Dijs immortalibus, precor &c.

E P I M E T R O N.

Porrò Deprecatio varia ſortitur nomina: 1. *Precatio*, ſive *Optatio* (gr Euche) ut, O utinam virorum fortium tantam copiam haberemus &c. Utinam tibi iſtam mentem Dij immortales donarent! Dij faxint, ut meus collega &c.

2. *Invocatio* [gr. Eleticon] - Vos, o clariſſima mundi

Lu-

Lumina, labentem Cœlo, quæ ducitis annum, Liber, & alma Ceres &c. Ferte simul Faunique pedem, Dryadesque puellæ [Georg.]

3. *Salutatio* (gr. Prosagoreusis) - Salve fatis mihi debita tellus &c. Æn. 7.

4. *Deprecatio pro reo* [gr: Exetèsis] Ignosce, ignosce, Cæsar, &c.

5. *Adhortatio* (gr. Prôtrope) Nunc nunc insurgite remis &c. [Æn.]

6. *Dehortatio* (gr. Apôtrope) Turne, per has ego te lacrymas, &c. Unum oro, desiste manum committere Teucris [Æn. 12.]

III. Hoc Schema vehementissimum est, & perorationibus aptissimum.

VIII. Distributio [Merismus.]

I. C*Um id quod summatim dici poterat, fusius per partes explicatur*. Valet ad amplificandum.

II. Fit autem Distributio per enumerationem partium vel physicarum; ut cùm describitur Homo secundùm membra; vel moralium; ut cùm enumerantur species Virtutis, aut Vitij; vel idealium, ut cùm describitur Virtus ad modum Reginæ; vel per enumerationem causarum, effectuum, circunstantiarum, &c. Potest autem fieri vel affirmativo modo, vel negativo. Exemplum Rutilij de Alexandro.

III. Alexandro Macedoni neque in deliberando consilium, neque in præliando virtus, neque in beneficio benignitas deerat: nam cum res dubia accidisset, apparebat sapientissimus; cùm autem confligendum esset, fortissimus; cum verò præmium dignis tribuendum, liberalissimus.

IV. Eleganter autem effertur per particulas disiunctivas *Vel*, *Aut*, *Seu*: ut, *Cœlitum Sanctimoniam solet Deus prodigijs contestari vel tanquam fulgetris ad illustrandam, vel tanquam fulminibus ad vindicandam*.

V. Cùm multa congeruntur dicitur *Synatræsmus* [h. Congeries] de qua infra, cùm de Amplificatione agemus. Apud Cic. passim occurrit.

EPIMETRON.

1. Annumeratio; quæ fit perſpicuitatis gratia, dicitur *Aparethmèſis*.
2. Cûm poſita deſcriptio tota primùm, deinde reſumitur, ita ut non fiat repetitio, ſed ut ejus partes accuratiùs, & fuſius exequamur, & in ordinem redigamus, dicitur *Diàdoſis*, ſive *Anàdoſis* (Digeſtio)
3. Si ordo abſit, & confuſè effundimus, eſt *Diaſporà* [Diſſeminatio] ſive *Diaſcòrpiſis* [Diſperſio, Diſſipatio.]
4. Cùm plura diſtantia velociter percurrimus; e. g. *Cæſar in patriam evolarat, Corfinium ceperat, urbe potiebatur, Pompeium perſequebatur*; eſt *Exàllage*. *Exàllaxis* (Imutatio) *Epìtrechon*, *Epitrochaſmus* (velox Percurſio)
5. Cùm certa quadam lege ſit numeratio dicitur *Catalogus*.
6. Eſt & *Apòſtaſis*, & *Metàbole*: quæ ſunt potiùs *Figuræ dictionis*. Vide §. 2.
7. Vide plura in *Deſcriptione* par. 2. c. 1. §. 10.
8. Huc referri poteſt *Taxis*. Vide in §. 2. n. 36.

IX. Dubitatio (gr. Diaporèſis, Aporìa.)

I. Cum hæremus, & ambigimus, quid dicendum, agendumve ſit.

II. Cicero. Quid primùm quærar? aut unde potiſſimùm exordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? Populi ne Romani? veſtram fidem implorem?..... Et quidem, quod ad me attinet, quo me vertam neſcio: Negem hoc admiſſum fuiſſe crimen? negem teſtes auditos in Senatu? &c.

III. Per *Parentheſin*. O Quinte Catule (Patrem ne appellem? an filium?) &c.

IV. Per *Antitheſin*; adhibitis particulis *Utrum*, *Aut*, *Fortaſſe*, &c. ut, *Neſcias, utrum plus ſplendoris acceperit a Dignitate, an addiderit Dignitati*. Martialis: *Aut docuit luſus hos Thetis, aut didicit*. Eſt autem ſic expreſſa Elogijs aptiſſima. Juglaris: *Chryſoſtomus eloquentia aureus, conſtantia ferreus;* pre-

pretiosior fortasse, quòd ferreus, quàm quòd aureus. &c.

V. Per *Dilemma*. De quo, Judices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam reperire possum: Si enim taceo, vel maximam partem relinquo; si autem dico, vereor ne non ille solus se læsum putet. [Cic.]

VI. Per *Ætiologian* (Subiectionem) Quo te nomine appellemus? Improbum? At, &c. Num Malitiosum? Negas. Fraudulentum? Jam id quidem arrogas tibi. Audacem? Cupidum? Perfidiosum? Vulgaria, & obsoleta sunt. (Cic.)

X. Emphasis [Suspicio.]

I. CUm *plus intelligitur, quàm dicitur.* Acutissima ferè omnium figura.

II. Exempla. [Sen. nat. qu.] Postquam deterior populus ipsas subijt terras, *effossurus obruenda*, ferrum primò in usu fuit: & id homines impunè eruerant, *si solum eruissent*. [Q. Cur. l. 4.] ubi Darius cum Alex. pugnaturus sic suos hortatur milites: *Hac dies Imperium aut constituet, aut finiet.* Quo datur intelligi, quanti momenti foret ille conflictus.

III. Frequens est apud Poetas: Virg. de Cyclope. *Jacuitque per antrum Immensum* [ex quo gigantæa statura colligitur] Mart. *Artis Phidiaca toreuma clarū Pisces aspicis: adde aquam: natabunt.* Persius in Poetæ indocti carmina: *Scombros metuentia carmina, vel tus.*

EPIMETRON.

Huc referri potest *Noema* (Cogitatio) per quam aliud intelligitur, quàm dicitur: ut, si cui dixeris: *Utere salino*, ad significandum eum esse insulsum: utque exprobres aliquem filium sartoris: *Tace tu, cujus pater nasum cubito emungebat*: Vel filium suspendiarij: *Cujus pater sublimis obijt*: Vel *Obijt intra xvij. literam Græcorum.* h. Π.

XI. Epiphonema [Acclamatio.]

I. CUm *rei narratæ, vel probatæ maximè acclamamus.* Estq; veluti Corollarium rerum, quæ admiratione dignæ sunt.

sunt. Efferri autem solet per particulas, *Adeò*, *Ita*, *Sic*, *Scilicet*, *Enim*, *Et*, *Et sanè*, *Tantus*, *Qui*, *Hic*, *Quàm*, *&c.*

II. Exempla. Fugiunt arma jacientes, quæ paulò ante ad tutelam corporum sumpserant: *Adeo* Pavor etiam Auxilia formidabat! (Q. Cur. l. 3.)

Sic Odium, quod in ipsum attulerant, id in ejus imaginem profuderunt. (Cic.) Lento *enim* gradu ad vindictam sui Divina procedit Ira; tarditatemque supplicij gravitate compensat. [Val. Max.]

Dij immortales! Non intelligunt homines, *quàm magnum* vectigal sit Parsimonia. (Cic.)

Tanta molis erat Romanam condere gentem! [Æn. 1.)

Hæc finis Priami fatorum, *hic* exitus illum Sorte tulit. Æn. 3.

Inde genus durum sumus, experiensque laborum;
Et documenta damus, qua simus origine nati. (Met. 1.)

Capti*que* dolis, lacrymisque coacti, *quos* neque Tydides, &c. [Æn. 2.

XII. Ethopœia [Morum Imitatio.] al. *Ethologia*.

I. Est *morum expressio*, *&* *Characterismus Animi*. Quasi enim lineamenta, atque indolem ipsam sub aspectum ponit. Valet ad movendos animos.

II. Puer pigerrimus a P. Pomey Soc. Jesu graphicè sic describitur. Hic beatulus noster aperire oculos, caput attollere, huc se illucque versare: &, *Quota hora est*, inquit; *vix dies illuxit; meis certè oculis adhuc multa nox est.* Quid multis? dum scalpit caput, dum distendit nervos, dum oscitat, fricatque oculos; tota abit hora. Demum emergit lecto: inde rectà ad focum perreptat; a foco cibarium ad armarium. Tum verò ad Academiam se confert, testudineum movens gradum, & ambages viarum quæritans, obviisque opificum tabernas stolidè contemplans, morasque nectens ex alijs alias. Denique accedit ad scholas, quo fermè tempore solent alij discedere.

III. Est Poetis perfamiliaris. Ov. Met. 2. de Phœbo sub Phaetontis mortem.

Datque

Datque animum in luctus, & luctibus adijcit iram,
Officiumque nega t mundo, &c.
Colligit amentes, & adbuc terrore paventes
Phœbus Equos; ſtimuloque dolens, & verbere ſævit:
Sævit enim; Natumque obiectat, & imputat illis.
Et de Narciſſi Anima apud Inferos. Met. 3.
Tum quoque ſe, poſtquam eſt inferna ſede receptus,
In ſtygia ſpectabat aqua.
Virg. de Equo Trojano: Æn. 2. *Circum pueri innuptæque puellæ*
Sacra canunt; funemque manu contingere gaudent.

IV. Hactenus de Ethopœia, ut Figura eſt. Vide diſtinctius pertractatam inter Progymnaſmata, Par. 2.

V. *Ethologia* propriè eſt *Morata Oratio*.

XIII. Exclamatio [gr. Anaphonèſis, Ecphorèſis.

I. EST *Orationis elatio*, ad varios affectus, & ad rei magnitudinem exprimendam.

II. *Ad laudem.* O Clementiam admirabilem, atque omni laude, prædicatione, literis, monumentiſque decorandam! O decus incredibile, & præter hanc unam in omni vita inauditum! O laudem præclariſſimam! O facinus omni præconio ſuperius, omniumque veneratione digniſſimum!

III. *Ad vituperium.* O admirabilem impudentiam, audaciam, temeritatem! O peſtis! O labes! O lutum! O ſordes! O portentum in ultimas terras amandandum! O diem illum funeſtum ſenatui; boniſque omnibus, ac Reip. luctuoſum!

IV. *Per Adiuncta.* O Civem natum Reip., memorem ſui nominis, imitatoremq; majorum!

V. *Per Diſiunctionem.* O miſerum te ſi intelligis; miſeriorem ſi non intelligis. &c. O deteſtabilem hominem, ſive quòd Tyranni ſacerdos es, ſive quòd mortui! &c.



XIV. Hy-

XIV. Hypotypòsis. (Descriptio.)

I. SChema est, *quod rem sic exprimit, ut cerni potiùs, & geri, quàm legi, & audiri videatur.*

II. Hanc Cicero *Illustrem Explanationem* appellat. Differt ab *Ethopœia*, quòd illa tota sit in expressione animi, hæc verò corporis. Est autem in narrationibus usitata.

III. Cic. Ipse inflammatus scelere, furore, crudelitate, in forum venit: ardebant oculi, toto ex ore crudelitas emicabat. [Catil. 4.] Dicitur etiam *Energia*.

IV. Possunt etiam exprimi, quæ futura sunt, vel essent, per *Hermenìan* (Interpretationem) ut, videor mihi hanc urbem videre concidentem: cerno animo sepultam patriam, insepultos civium acervos: versatur mihi ante oculos aspectus Cethegi, & furor in vestra cæde bacchantis.

E P I M E T R O Ń.

Descriptio Personarum dicitur *Diatypòsis*, vel *Diascève*. Descriptio rerum propria, & genuina dicitur *Icon*, sive Descriptio *Icastica*. Cùm res minutissimè, & absolutè describitur, est *Leptologia*. Hinc *Lepturgus*, subtilium operum Artifex. Expressio vultus, incessus, cultus, habitusque personæ est *Prosopographìa.* Cum rei incorporeæ corpus affingimus est *Somatopoeia*, ut cum fames describitur tanquam Fœmina. Descriptio vera alicujus loci *Topographìa*. Descriptio ficta loci, *Topothèsia*. Descriptio Regionis *Chorographìa*. Descriptio Terræ *Geographìa*. Descriptio Mundi *Cosmographìa*. Descriptio Temporis *Chronographìa*. Descriptio, seu potius Narratio de Origine Generis, & Familiæ, *Genealogìa*. Rei, vel Facti descriptio est *Pragmatographìa*.

XV. Immoratio (gr. Diatribe.)

I. EST *cùm eadem sententia mutatis phrasibus variè versatur:* ut altius auditorum animis infigatur. Valet ad mo-

tus

tus ciendos, ad amplificandum, ad instandum.

II. Cicero. O miserum, si non intelligis, hoc literis mandari, hoc memoriæ prodi, hujus rei ne posteritatem quidem omnium seculorum unquam immemorem fore! Tam eram rudis? tam ignarus rerum? tam expers consilij? nihil audieram, aut videram? nihil ipse legendo, quærendoque cognoveram?

III. Cùm in loco firmissimo, in quo tota causa consistit, manetur diutiùs, dicitur *Epìmone* (Commoratio) & *Epexergàsia* (Expolitio.)

XVI. Imprecatio, Execratio (gr. Arà, Catàra)

I. Est, *qua malum alicui imprecamur*. Hujus rarior est usus, præsertim apud Christianos, & Sacros Oratores. Exempla ex Tullio.

II. Dij te perdant, fugitive; ita non modò nequam, sed improbus, atque amens es. Quin tu abis in malam rem, malumque cruciatum? Deus te infelicitet; aut ut meliùs precer, te destituat sanitate, malesane Blatero. Caput obnubilato; arbori infelici suspendito.

III. Id genus sunt formulæ apud Comicos: *Abi ad corvos. Dij te eradicent: Malum quod tibi Dij dabunt. Dij te submoveant. I, tibi dispereas. Te Dij omnes, Deæque perdant. Abi malis avibus, infausto pede. Apage ad corvos. Malè tibi sit. Malè tibi eveniat; Abi malis auspicijs, infaustis ominibus. Abi in malam crucem*, &c.

IV. Potest & sibi ipsi malum Orator quadam sub conditione imprecari. e. g. *Dispeream (ut mihi pessimè precer) nisi malim*, &c. *Nisi &c., amens sim. Dij me, & te infelicitent, si &c.* [Plaut.]

E P I M E T R O N.

1. Huc spectat *Mantìa* (Ominatio) h. futurorum malorum expositio: ut, *Erit, erit illud tempus, cùm tu amicissimi hominis benevolentiam desideres* &c. Dicitur etiam *Diàbole* (Criminatio, sive Denunciatio malorum) cujusmodi illa Harpyìæ ad Æneam: *Sed non ante datam cingetis moenibus urbem, Quàm vos dira fames*, &c. Æn. 3.

2. *Aga-*

2. *Aganactèsis* [Indignatio] quæ fit maximè pronunciatione : ut, *Fero ego te, Torquate, jandudum fero.* Cic. & Pastor Virgilianus : *Cantando tu illum ? aut unquam tibi fistula cera Juncta fuit ?*

3. *Onìdisis*, *Onidismus* [Exprobratio] cùm Adversario insultamus : ut,

I nunc, superbe ; virginum thalamos pete, Contemne matres. Seneca :

I nunc, ingratis offer te irrise periclis. Æn.

I nunc, & ferrum, turba molesta, nega. Mart. &c.

XVII. Interpretatio [Hermenìa.]

I. EST, *cùm dictum, aut factum alicujus juxta mentem nostram interpretamur.* Solet autem exprimi per particulas, *Scilicet, Hoc est, Perinde quasi, Ut ego arbitror*, &c.

II. Cic... P. Clodius... reliquit annum suum.... ut haberet [quod ipse dicebat] ad Præturam gerendam, *hoc est ad Remp. evertendam*, plenum annum, atque integrum. Ovid. Heroid. *Utque celer venias, virides Nereidas oro ;*
Scilicet ut venias in mea damna celer.

EPIMETRON.

1. Huc refertur *Anàclasis* (Repercussio) cùm dictum alicujus contra ipsius significationem intelligimus. ut, Mortem, inquis, meam non expectas : *verè scilicet non expectas ; quia moræ impatiens properas ut ocyùs moriar.*

2. *Paradiàstole* ; qua rem benignori interpretatione dilatamus : ut, cùm Astutum *Sapientem*, Prodigum *Liberalem*, Temerarium *Fortem* vocamus.

XVIII. Interrogatio (Erotèsis, Erotèma.)

I. EST *Oratio, qua utimur, non sciscitandi gratia, sed instandi* : interrogamus enim aliquando, quod negari non potest. Est ad ciendos animi motus accommoda : familiarissima Tullio : estque tanquam Gladius Oratorius, & Ciceronianus. Multiplex verò ejus usus.

II. Sim-

II. Simpliciter indicat per *Exegèsin* (Expositionem) ut, *Quousque tandem abutère, Catilina, patientia nostra? Quandiu &c. Patère tua consilia non sentis?* loco enunciandi simpliciter: *Diu abuteris; patent tua consilia.*

III. Urget per *Parormèsin* [Incitationem] ut, Quid est? quid ad hæc cogitas respondere? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen?

IV. Vexat per *Epiclèsin* (Afflictionem) ut, Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo præsente? quis spopondisse me dicit? .... Piratam tenuisti? quem ad finem? quam ob rem? quam ob causam? quo exemplo? cur tandiu? etiam ne privatus? etiam ne reus? etiam ne pæne damnatus?

V. Dubitat per *Diaporèsin*(Dubitationem) *Quem te esse dicam? an omni pietatis studio derelictum? an* ,&c.

VI. Dolet per *Lypen* [Tristitiam] *Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora possunt Accipere?* &c. Æn. 2.

VII. Indignatur per *Aganactesin* (Indignationem) *Et quisquam numen Junonis adoret Præterea, aut supplex aris imponat honorem?* Æn. 1.

VIII. Aversatur per *Apotropiàsin* [Detestationem] *Me ne incœpto desistere victam?* &c. Æn. 1.

IX. Admiratur per *Thaumasmon* [Admirationem] *Quid non mortalia pectora cogis, Auri sacra fames?* Æn. 3.

X. Imperat per *Prostaxin* [Jussionem] *Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur?* Æn. 4.

XI. Percontatur per *Pysma* (Quæsitum) & pluribus quidem, ita ut non nisi pluribus responsionibus occurrendum sit. Ut, Qua ratione bellum geremus? quæ auxilia parata sunt? quis subvenire volet, cùm tam acerbè socios tractaverimus?

XII. Aliquando Orator se ipsum interrogat: ut, *Non eloquar? patiar? conticescam? non reprehendam?*

XIII. Aliquando etiam jocatur per *Eutrapelìam* [Urbanitatem, Facetiam], alia ve ratione interrogat &c.

XIV. Aliquando coarguit per *Epitimesin*, sive *Epiplexin* (coargutionem) Virg. *Non ego te vidi Damonis pessime Caprum excipere insidijs?*

XIX. Iro-

XIX. Ironia [Illusio.]

I. EST *cùm contrarium planè dicimus, quàm verba significant* Figura olim Socrati in delicijs habita. Quàm, siquidem brevior sit, & enucleatior, aut apertior, inter Tropos poteris, cùm aliquibus, recensere; ut si *Narcissum* pro Deformi sumas; *Herculem* pro *Imbelli.* Ausonius de Jactatore quodam, Suique magnifico Æstimatore, *Octavus*, inquit, *accessit Sophos.* Sin pluribus verbis, & longiori oratione efferatur, huc malim referri. Huc cum Scaligero refer eam quam Cic. appellat *Erroris inductionem.*

II. Sed stulti sumus, qui Africanum, Pompeium, Nosmetipsos cum P. Clodio conferre audeamus . . . . . At quis erat procurator! credo aliquem ejectum hominem, egentem, improbum, &c. nihil minùs . . . . . O stultos Camillos, Curios, Fabricios, Scipiones, Metellos! O amentem Marium! nullius consilij Patres! &c. . . . Tu eruditior, quàm Piso, prudentior, quàm Cotta, abundantior consilio, ingenio, sapientia, quàm Crassus. &c.

EPIMETRON.

1. Huc referri potest *Sarcasmus* [Jocus amarulentus, sive hostilis Insultatio] cujusmodi verba Pyrrhi ad Priamum, Æn. 2. *Referes ergo hæc, & nuncius ibis Pelidæ genitori: illi mea tristitia facta, Degeneremq; Neoptolemum narrare memento.*
2. *Diasyrmus* (Distractio) cùm una dictio ad diversa significata distrahitur, cum irrisione: ut, E vestigio ex homine, tanquam ex aliquo Circæo poculo, factus est Verres. [Cic.]
3. *Chlevasmus*, sive *Epicertomèsis* risum excitat, & severè proposita vafrè eludit; ut, *Meque timoris Argue tu, Drance* &c. Æn. . . .
4. *Mycterismus* (Subsannatio) est, *uncis naribus suspendere.* Exprimiturque gestu potiùs, & narium compressione, quàm verbis.
5. *Charientismus* [Scomma, Dictum salsum] cùm festivè aliquem pungimus; vel cùm dura dictu mitiùs, & gratiùs efferimus.

7. Asti-

6. *Aſtiſmus* contra, vel *Aſteiſmus* eſt Urbana dictio, Jocus, Feſtivitas: ut, *Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Mævi*. Eclog.

7. *Hypòcriſis* [Simulatio] fit geſtu, & pronunciatione ſpernendo non ſine riſu adverſarium: ut, Virg. *Cantando tu illum? aut unquam tibi fiſtula cera juncta fuit?*

XX. Licentia (gr. Parrhèſia.)

I. Est, cùm quæ gravia dictu periculoſaque ſunt, ea fidenti animo dicturum ſe profitetur Orator. Tullij exempla.

II. Vide, quàm non reformidem: vide, quanta lux Liberalitatis, & Sapientiæ tuæ mihi apud te dicenti oboriatur. Quantum potero voce contendam, ut hoc populus Rom. exaudiat: &c. Vos, P. C. (grave dictu eſt, ſed dicendum tamen) vos, inquam, Sulpicium vita privaſtis.... Poſtremò (erumpat aliquando vera, & me digna vox) ſi ad earum voluntatem dicta, factaque mea referantur, optanda mors eſt.... Adeſtote omnes animis, qui adeſtis corporibus: erigite mentes veſtras; & me de invidioſis rebus, ut ille putat, dicentem attendite.

III. Valet ad fiduciam oſtendendam, ad comminandum, ad inſultandum Adverſario, ad commonendum: ut in allatis exemplis.

IV. Præſtantia quædam animi, & fiducia orationis, dicitur *Hypòſtaſis*.

XXI. Obteſtatio (gr. Epithiaſmus.)

I. Est Deprecationis genus; *cùm in re gravi Deum, vel homines in teſtimonium Veritatis advocamus*. Exempla.

II. Cic. Unum reſtabat illud, de quo te, te, inquam, Patria, obteſtor; & vos Penates, patrijque Dij, me veſtram ſedium, templorumque cauſa &c. dimicationem, cædemque fugiſſe. Æn. 2. *Vos, æterni ignes, & non violabile veſtrum Teſtor Numen, ait &c.*

III. Huc

EPIMETRON.

Huc referri potest *Cataphasis* [Asseveratio] interposita fide, vel juramento: ut, Dispeream, nisi &c. *Maria aspera juro*. Æn. . . . . . quæ dicitur & *Omoticon*.

XXII. Occupatio (gr. Prolepsis, Procatasceve.)

I. CUm, *quæ obijci possunt*, *prævenimus*: ultroque rationem facti dictique reddimus.

II. Hisce autem formulis concipi solet. Quæret quispiam, cur &c. Atenim quæ causa fuit, quòd &c. At etiam sunt, qui dicant &c. Novi locum, quò se jactaturus sit Adversarius. At inquiet hic aliquis. At dices. Requiretur fortasse. Forsitan quæretis. Video, quid dicturus sis. Atque etiam jactare audebis. Verùm intelligo, quid opponi possit. &c.

III. In exordijs præsertim causarum judicialium potissimùm locum habet. Cic. *Credo ego vos*, *Iudices*, *mirari* &c. *Si quis vestrum*, *Judices*, *forte miretur*, &c.

EPIMETRON.

1. Est *Antipòphora* (Obiectio) cùm proponimus; & statim respondemus. Virg. *Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna*: *fuisset* &c. *Sed Perisse semel satis est*: *Peccare fuißet ante satis*. Vel est tacitæ obiectioni Responsio: *Sum pius*, *heu*! *doleo*; *nam mihi sæpè nocet*.

2. *Schesis* [Adfictio, sive Affectio] cùm fingimus in Adversarijs Affectum aliquem; cui respondemus; ut illa Junonis fingentis Venerem dicere, *Indignum est*, *Italos Trojam succendere flammis* . . . . Et respondet, *Quid face Trojanos atra vim ferre Latinis*?

3. *Apodoxis* (Rejectio) sive *Apoplanèsis* (Aberratio) cùm Obiecta Adversariorum, tanquam responso indigna, aspernamur: ut, *Quid enim odißet Clodium Milo*, *Segetem*, *ac materiam gloriæ suæ*?

4. *Antisagòge* (Compensatio) quam vide in subiectione.n.S. videtur enim ad utranque reduci posse.

5. *Antirrhèsis* (Contradictio) vide ibidem.

6. *Procatalepsis* (Præceptio) cùm id, quod obijci potest,

test, prædicitur: ut, Virg. *Neque de Argolica me gentem negabo, Hoc primum*. Et, *Scio me Danais de classibus unum*.

XXIII. Permissio [Epitrope.]

I. Cum alicui rei fidentes ostendimus, nos eam concedere alicujus voluntati. Differt a Concessione, quòd Concessio sit de re ut facta, Permissio de re facienda.

II. Exemplum Rutilij ex Hyperide. Sed ego jam, Judices, legitimum meæ causæ jus omitto; vobis quod æquissimum videatur, ut constituatis, permitto. &c.

III. Juncta Ironiæ miram vim habet; per hanc imperantes quæ ceteroqui fieri nolumus. Cic. Catil. Quid expèctas? proficiscere: nimiùm jandiu te Imperatorem illa tua Manliana castra desiderant..... Egredere cum importuna sceleratorum manu: confer te ad Manlium; concita perditos cives; secerne te a bonis; infer patriæ bellum; exulta impio latrocinio. &c.

XXIV. Præteritio [Paralepsis.]

I. *Cum profitemur, nolle dicere id quod tum maximè dicimus.* Sunt enim quædam minùs honesta, levia, communia, quæ non nisi obiter sunt perstringenda. Formulæ ex Tullio.

II. Sed jam flagitia omittam, &c. Nihil de illius luxuria loquar; nihil dicam &c. Nihil ille a me de pueritiæ suæ flagitijs audiet. Omnia præteribo, quæ &c. Sileatur de nocturnis ejus Bacchanalibus. Nulla mentio fiat de &c. Hic ego plura non dicam. Omnia hæc vetera prætermittam: unum illud subijciam &c. Possem multa dicere de &c. Sed mihi ante oculos versatur, meque ad se rapit &c. Sine, me hoc loco præterire &c. Nondum commemoro rapinas &c. Sentio, moderandum mihi esse orationi meæ &c. At illud patiar latere &c. Habeat hoc præmium tua indignitas, ut obscuritate involvatur &c. Quid ego hic proferam? &c.

III. Aculeata est per Ironiam, cùm aliquem insectamur: ut

Non sum tibi ita inimicus, ut omnia tua facinora detegam: Non dicam, quàm sæpe in amicos perfidus fueris, in propinquos scelestus, in patriam impius &c.

XXV. Prosopopœia (Personæ effictio.)

I. *Cum res inanimas, ac sensus expertes loquentes inducimus.* Exempla Tullij.

II. Etenim si mecum Patria, si cuncta Italia, si omnis Resp. sic loqueretur: *M. Tulli, quid agis?* &c. Patria tecum, Catilina, sic agit; & quodammodò tacita loquitur. &c.

III. Cum vita functum aliquem loquentem inducimus, dicitur *Idolopoeia*. Cic. Existat ex ipsa familia aliquis ..... qui si profectò existeret, sic loqueretur: *Mulier, quid tibi cum hoc Adolescente?* &c. Quòd si nunc ille Brutus reviviscat, & hic ante pedes vestros adsit, non ne hac uteretur oratione? *Ego Reges vici, vos Tyrannos inducitis.* &c.

IV. Vide Ethopœiam inter Progymnasmata, par. 2. Valet autem ad suadendum, obiurgandum, laudandum, miserendum, exaggerandum; estque Transitionibus apta.

XXVI. Reticentia (Aposiopèsis, Parasiopèsis.)

I. Fit, *cùm sermo abrumpitur, nec perficitur.* Exempla Tullij.

II. Tu istud ausus es dicere, homo omnium mortalium .... quæro, quo nam te digno moribus tuis appellem nomine: Tu istud ausus es dicere, qui nuper alienæ domui ... non ausim dicere, nè, cùm te digna dixero, me indignum quidpiam dixisse videar. O celeritatem incredibilem! hujus autem nostri .... sed non possum sine dolore accusare &c.

III. Huc pertinet *Prótome* (Præcisio orationis) Cic. Sed nimis urgeo: commoveri videtur Adolescens: ad me revertar. &c. Vel cùm quid tacentes suspicionem rei gravis inijcimus. Juven. *Aut pastor fuit, aut illud quod dicere nolo.*

XXVII. Sermocinatio (Dialogiſmus.)

I. EST *ficta perſonarum collocutio*; ſive unus, ſive plures colloquantur ſimul: in narrationibus uſitata; frequens apud Poetas, & feſtiva in Satyra, & Epigrammate. Cic.

II. Quid ergo affers, quare id factum putemus? Exhæredare filium voluit. Quam ob cauſam? Neſcio. Exhæredavit ne? Non. Quis prohibuit? Cogitavit. Cui dixit? Nemini &c. Vide Sat. 1. Perſ. & Mart. l. 3. ep. 38. ad Sex.

III. Aptanda eſt perſonæ oratio: tenuis puero, gravior viro, vel Regi; media ſervo, mulieri, ſeni.

XXVIII. Subiectio (Hypòbole)

I. CUm Orator vel ſe ipſum interrogat, idemque reſponſum ſubijcit; vel alium, & reſponſum non expectat, ſed aliquid addit de proprio. Exempla Tullij.

II. Domus tibi deerat? at habebas: pecunia ſuperabat? at egebas, &c.

III. Poteſt Reſponſum quoque interrogativo modo efferri. Quarè venenum dare vellet? Ne aurum redderet? Num petivit? Ne crimen hæreret? Num quis obiecit? &c.

EPIMETRON.

1. Perfecta erit, ſi conſtet 1. *propoſitione* (ut, Quæramus, quæ cauſa fuerit) 2. *Enumeratione, & Remotione* (An hæc? at &c. an illa? at &c.) 3. *Concluſione* (Si igitur neque hoc &c. neque illud &c. perſpicuum eſt, nullam eſſe cauſam &c.) 2. Cùm ſententiæ ſtatim redditur cauſa, & confirmatio, licet non interrogativo modo prolatæ, dicitur *Ætiologìa*; vel *Proſapòdòſis* [Redditio] vel *Epìcriſis* [Judicium] e.g. *Grave illud quidem: quomodo enim non eſſet grave contra Patriam?* (Demoſth.)

Æn. 2. *Ecce trahebatur paſſis Priameia Virgo*
Crinibus a templo Caſſandra, adytiſque Minervæ,
Ad Cœlum tendens ardentia lumina fruſtra;
Lumina; Nam teneras arcebant vincula palmas;

3. Huc referre placet *Anaresin*, sive *Anticrisin* [Responsionem] cùm Interroganti subijcitur aliquid plusquàm petebatur: ut, Testis interrogatus, an ab eo fustibus vapulasset? *Et innocens*; inquit. [Quintil.] Quæro, an occiderit hominem? Respondetur *Latronem*. [Cic.] & D. Polycarpus à Marcione Hæresiarcha interrogatus, an eum agnosceret, respondit, *Agnosco Primogenitum Diaboli*. Hinc in Tragœdijs, & Fabulis elegantes accidunt reciprocæ Propositiones, & Responsiones: e.g. Sen. Med. *Alta extimesco sceptra: Ne cupias vide, Infesta meme: perime: Misereri jubes.* Et Thebaid. *Nempe nisi bellum foret, ego te carerem: Nempe si tu non fores Bello carerem*. Et alibi frequentissimè. Quæ & *Antirrhèsis* (contradictio, seu Responsio contradicens alicui) dici potest.

4. *Apophonisma* (Sententia responsiva) Schematismus est: ut, *Fac velis: perficies*.

5. *Antisagòge* [Compensatio] Cum difficile quid confitemur, sed aliud facile, & non minùs firmum subijcimus. Cic. Difficilis ratio belli gerendi; at plena fidei, plena pietatis.

XXIX. Suspensio, seu Sustentatio (Hypòmone.)

I. CUm *Orator diu suspensos tenet animos, donec aliquid inexpectatum subiungit*.

II. Cic. Quid deinde? Quid censetis? Furtum fortasse, aut prædam aliquam? [*tum subijcit quid improbius*] Etiam num mihi expectare videmini, quid deinde factum sit ... Expectate facinus quàm vultis improbum: vincam tamen expectationem vestram. &c. [*tum subdit quod maximò iniquum est*.]

III. Valet ad exaggerandum: excitat magnoperè attentionem: multam in narrationibus gratiam addit.

***
**

EPI-

EPIMETRON.

1. Valet in Jocis; cum expectatione rei maximæ concitata leve quid subjungitur. De milite glorioso: Hic hostem ubi adversum vidit, dirùm infremuit, gladium nudavit, altèque necem interminatus, quàm ocyssimè *fugit*. De Prodigo. In suo Testamento reliquit magnum *Nihil*. De servo quodam: A primis annis Equestri dignitate insignitus Torquem gerebat *in cruribus*.... Ibat in pedibus gestans duo pulcherrima *Ulcera*. Mart. in Lupercum. *Irascar licet usque voces, mittasque, rogesq; Quid facies? inquis: Quid faciam? veniam*.

2. Refer huc *Paradoxum* (Admirabile) estque Sententia inopinata, & præter expectationem enunciata: ut, *Voluptatum maxima Volupatem fugere. Maximum infortuniorum Felicitas. Minima Maximum faciunt*. Differt Paradoxum ab Hypòmone; quòd hæc sita sit in novitate rei; illud verò in novitate dicti.

3. Figura hæc Elogijs aptissima: gratiorem enim relinquit aculeum, propter Veritatem, vel causam inexpectatam: exprimiturque causa per particulas *Ut*, *nè*, *ideò quia*: e. g. *Antonius nè degeneri silvesceret animo, secessit in silvas; ut humanis viveret moribus, accessit ad feras; ne ferinos ritus indueret, recessit ab hominibus. Mundo ideò notus, quia mundum nescivit; ideò apud homines clarus, quia homines latuit*.

4. *Exartèsis* [Suspensio] est cum figuræ figuris implexæ sunt, ut anuli in catena; unde plena decurrit Oratio.

XXX. Schematum Analecta [Figurarum Reliquiæ] diversi generis.

I. ANàcrisis (Percontatio) cùm quærimus quid dicamus: ut, *Quid reliquum est? nunquid omisi?*

II. *Anamnèsis* [Memoratio] vel cùm rem aliquam memoramus, quam nos fingimus oblitos; vel cùm eam depositam

apud memoriam Auditorum deposcimus: *Quaso, ut, quid pollicitus sim, diligenter memoria mandetis.*

III. *Anance* [Necessitas] sive *Anancaon* (Necessarium) cùm factum aliquod in suas causas, ut naturam, leges, mores, vel etiam Fatum, refunditur: ut, *Sed nos fata Deum vestras exquirere terras Imperijs egere suis.* Æn. 7. *Res dura, & Regni novitas me talia cogunt Moliri, & latè fines custode tueri.* Æn. 1.

IV. *Agnaa* [Ignoratio] cùm ignorare videmur: *Sed Artificem: quem? quemnam? Rectè admones: Polycletum.*

V. *Brachyepìa* [Sententiæ Brevitas] cùm Orator brevitate sententiæ præcedit expectationem: ut, *Consilio valuit, fortuna lapsus est: homo fuit, fatetur: non omnia possumus: hoc Dei proprium est.*

VI. *Dicæologia* [Iustificatio] cum causæ æquitatem brevissimè complectimur: *Si me reprehendis, quòd homo adolescens lapsus sim, vehemẽter erras; qui, quid natura valeat, ignoras* &c.

VII. *Egersis* (Excitatio) cùm animum auditoris tædio affectum excitamus: *Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Ferrea vox* &c.

VIII. *Gnome* [Sententia] quæ generali oppositoque Pronunciato orationem concludit: ut, *Hoc animo semper fui, ut Invidiam virtute partam, Gloriam, non Invidiam putarem.*

IX. *Metàstasis* [Transmotio] cùm rem a nobis aliò transmovemus: ut apud Demosthenem pro Ctesiphonte: *Cum bellum Phocense conflatum esset; non per me; nondum enim ego ad Remp. accesseram*, &c. vel est Transitus a Loquentis persona ad aliam: sed tunc *Metàbasis* potiùs appellanda: ut illa Æneæ ad Pallantem: *Non hac Evandro de te promissa parenti Discendens dederam* &c. *Et nunc ille quidem spe multùm captus inani Fors & vota facit.* Æn. 9.

X. Est & *Metanœa* (Pœnitentia) de qua V. in *Correctione*: & si qua alia, ad alia Schemata ferè omnia reducta sunt.



XXXI.

XXXI. Schematum Virtutes.

Figuræ ad docendum idoneæ.

I. EX Figuris Verborum: *Concilatio*, *Subiunctio*, *Antithesis*.
II. Ex Figuris Sententiarum: *Communicatio*, *Concessio*, *Correctio*, *Distributio*: *Epiphonema*, *Interpretatio*, *Occupatio*, *Præteritio*, *Subiectio*.

Figuræ ad delectandum idoneæ.

I. PRæter omnes Tropos, ex Figuris Verborum: *Conversio*, *Complexio*, *Traductio*, *Gradatio*, *Adiunctio*, *Sinecdoche*, *Asyndeton*, *Relatio*, *Paranomasia*, *Compar*, *Similter cadens*, *Similiter desinent*.
II. Ex Figuris Sententiarum: *Allegoria*, *Apostrophe*, *Ethopoeia*, *Emphasis*, *Hypotyposis*, *Ironia*, *Prosopopoeia*, *Sermocinatio*.

Figuræ ad movendum idoneæ.

I. EX Figuris Verborum: *Repetitio*, *Synonymia*, *Polysyndeton*, *Conduplicatio*.
II. Ex Figuris Sententiarum: *Dubitatio*, *Deprecatio*, *Exclamatio*, *Auxesis*, *Imprecatio*, *Immoratio*, *Interrogatio*, *Permissio*, *Obtestatio*, *Licentia*, *Reticentia*, *Sustentatio*.

XXXII. Transitio (Metàbasis.)

I. TRansitio non tam figura est, quàm potiùs *Nexus Figurarum*, *&* *Argumentorum*; cujus beneficio orationis membra aptè inter se copulantur; ut alia ex alijs ordinatim descendant.

II. Duplex est, *Perfecta*, *&* *Imperfecta*: 1. est, quæ quid dictum sit, & quid dicendum supersit, admonet. 2. quid dicendum sit, tantùm exprimit.

III. Potest & ipsa per figuram aptari: ut videre erit in exemplis, quæ subijciuntur.

IV. Adde his. Huc accedit. Huc, vel eòdem pertinet. His finitimum eſt, vel proximum, vel ſimillimum illud. Ad hæc illud conſiderandum. Ad hunc ordinem referendum illud. Quid ſi accedat eòdem, ut &c. Reliquum eſt, ut videamus. Age verò, Jam verò explicemus nunc. Venio nunc ad alteram partem. Ad illa jam deſcendo, quæ &c. Quid quòd ille &c. Nam illud quid attinet commemorare? Quid hic immoror? Ad id, quod eſt cauſæ caput, feſtinet Oratio. Sed hæc vetera; illud autem recens. Sed nimis multa de his: ad majora properat Oratio. Habetis, quid dixerit: nunc quid egerit conſiderate. Vultus veſtri, Auditores, me invitant, ut liberè dicā &c. Facit Humanitas veſtra, ut hæc addam. Bellè me vocat ad alteram orationis partem tanta herois gloria. Jam illud ad ſe vocat orationem meam. Quàm diſſimile verò factum illud! Feliciter cecidit, ut ad Pietatis officia deſcendam. Hactenus triſtia: nunc lætiora videamus. Fuit hoc, fuit proprium populi Rom., nunc verò &c. Faciam ego, quod facere Geographi ſolent. Res ipſas interrogemus; &, quæ certiſſima conjectatio eſt, gerenda geſtis colligamus. Hæc tibi apud hoſtes veneratio: quid apud Cives? Sed hæc privatim: nunc quæ publicè geſta conſideremus: Date oculos, qui hactenus aures præbuiſtis. Adeſte mecum animis; & quò me dudum oratio rapit, contendentem ſublevate. Jam quid faciam? novam patior ex copia difficultatem. Adde caſus, adde incertos exitus, adde &c. Dices: quid poſtea, ſi &c. reſpondeo. Requiretur fortaſſe nunc, quid egerit; &c. Verùm hæc ita prætereamus, ut tamen illud ſubijciatur. &c.

V. Si tranſitio ſit a gravioribus ad leviora, per Præteritionem ferè facienda: *Omitto ea, quæ leviora fortaſſe videantur*, & ſimilia.

XXXIII. Digreſſio [Apàllage.]

I. Digreſſio hic ponitur, quòd maximè indigeat Tranſitione. Eſt autem *Rei alienæ, ſed ad cauſæ utilitatem pertinentis, extra ordinem excurrens tractatio*. e.g. ſi facinus

cinus aliquod eximię fortitudinis celebras, ad laudem ipsius Fortitudinis excurris, deinde apta transitione in rem tuam te recipis.

III. Res itaque, ad quam excurritur, debet cohærere cum causa; nec debet esse per vim, aut temerè inserta.

III. Fit autem præsertim, ubi materia per se sterilis; & inamœna tractatur.

IV. Dicitur etiam *Ecbasis* (Excursio a proposito.)

§. VI.

De Stylo.

I. Quid, & quotuplex Stylus.

I. STylus secundùm Etymologiam est Acus illa, qua olim in ceratis tabulis scribebatur: hinc usus invaluit, ut pro Scriptione ipsá usurpetur.

II. Est igitur Stylus *Sermonis modus ad id quod decet accommodatus*.

III. Triplex est, 1. *Summus* [qui & Sublimis, Gravis, Magnificus dicitur] 2. *Medius* (qui & Temperatus) 3. *Infimus* (qui & Humilis, Tenuis, Simplex.)

IV. *Summus* ornatá verborum constructione, sententiarum majestate, & Antiquitatis eruditione supra communem dicendi usum assurgit.

V. *Medius* floridus est & concinnus, sed quadam inter summum, & infimum mediocritate.

VI. *Infimus* quotidianus est, & verecundus; munditiem amat; & familiari, dilucidoque candore, non sine leporibus, gaudet. Sententijs utitur, quæ plus acuminis, quàm ponderis habeant: Translata, nisi mitiora sint, omnemque tumorem evitat; cæsim, potiùs, quàm circumducta & numerosa oratione fertur.

VII. Dividitur etiam in *Asiaticum*, *Atticum*, *Laconicum*, & *Rhodium*. 1. Asiaticus fusus est, & verbosam prolixitatem amat. 2. Atticus Sales, urbanitates, lepòres requirit.

3. La-

3. Laconicus concisus est, ac vibratus, argutus, brevibusque strictus sententijs. 4. Rhodius neque pressus, neque prolixus, Orationem molitur ex utroque permistam.

II. Styli usus.

I. D*Emonstrativum* Genus stylum poscit summum, & gravibus sententijs, ac figuris illuminatum. *Deliberativum* sibi vindicat plerunque Medium, ac Rhodium. *Judiciale* Medium initio, ac verecundiorem poscit, sed acutiorem sententijs: deinde verò varium pro ut causa postulat.

II. *Propositio*, & *Partitio* Infimum amat. *Narratio* gaudet jam Infimo, jam Medio, & Attico, jam Numerosa oratione. *Confirmatio*, & *Descriptio* Medium sibi adscifcit, & aliquando Asiaticum. *Peroratio* summum, & in loco etiam Laconicum. Nam Stylus gravis *movet*, temperatus *delectat*, tenuis *narrat*, & *docet*.

III. *Epistola* Infimum exigunt, *Elogia* Laconicum, *Historia* Tenuem, seu potius Medium, *Didascalica* Infimum.

IV. *Comoedia*, & *Bucolica* Infimum, & simplicem, petit, *Tragadia*, & *Epicum* Poema Summum, ac magnificum, *Georgica*, & similia Medium.

V. *Oratorem* dignitate *gravem*, vel ætate, gravior stylus decet; *Juniorem* temperatus; *Adolescentem* tenuis.

VI. Ad *Seniores*, ad *Principes*, in *Senatu* adhibendus est Stylus gravior; ad *Jouenes* medius, ad *Pueros* infimus; ad *Rhetoricos* Rhodius; ad *Philosophos* Laconicus, ad *Sophistas*, & *Philologos* Atticus.

VII. *Grandia* sublimem poscunt, *Mediocria* temperatum, *Humilia* simplicem, & subtilem.

III. Styli Virtutes.

I. QUatuor primùm in Stylo observanda. 1. verborum *Proprietas*. 2. *Elegantia*. 3. *Nexus*. 4. *Collocatio*. Prima a Grammatica petenda est; secunda a Figuris; tertius Particulis conciliatur; quarta Periodo; de qua §. 7. Quæ ferè consentiunt cum sequentibus. II. Qua-

II. Quatuor sunt in Stylo virtutes. 1. *Nervus*, sive Energia. 2. *Decorum* [gr. tò Prepon] 3. *Ornatus*. 4. *Suavitas*. Nervus positus est in literis, syllabis, phrasibus, & Epithetis: Decorum in Ethopoeia, sive Imitatione personarum, & rerum, ut aptetur Dicenti, & Audienti: Ornatus in figuris, & eleganti structura: Suavitas in Numero Periodico.

III. Tria hæc postrema, vel tractata sunt alibi, vel tractanda: primum superest, de quo nunc.

IV. Ex *Literis* Vocales sunt Consonantibus grandiores: ut sonantior sit vox, quæ plures vocales continet. Sic *Aura* sonantior, quàm *Ara*; *Maurus*, quàm *Murus*; *Eurus*, quàm *Herus*. A. & O. grandiores, Horridis apta: E. & I. tenuiores, Exilibus, & Flebilibus accommoda: V. obscurius: B. insuave: C. D. G. tenacia, & tarda: F. flatum exprimit: L. lene: M. sonorum: N. lene, sed interdum, scilicet ante Mutas, sonantius: R. asperum: S. sibilans: X. & Z. vasta, & gravia.

V. E *Syllabis* Verba Polysyllaba, & Composita orationem extollunt: ut *Compellare*, *Contrucidare*, *Consceleratus*, *Interserere*, *Inauspicatus*. &c.

VI. E *Phrasibus* Græcismi rariores sint oportet: habeatur delectus locutionis.

VII. De *Epithetis* jam breviter dişseram: mira enim vis in Epithetis. Sunt autem *Quæ substantivis adiuncta eorum naturam, & vim significant*.

VIII. Epitheta alia sunt ob necessitatem: e. g. Thebas absq; Epitheto non distingues: tres enim sunt: si addas *Cadmæas* intelliges in Bœotia; si *Palmiferas* in Ægypto; si *Etionias* in Cilicia. Alia sunt ad ornatum; ut Ferrum *inbelle*, *gloriosum*, *crudele*. Alia sunt perpetua, ut, Ovis *placida*; alia temporaria; ut Venus *improba*, *horrenda* Juno. Alia absoluta; ut, Virtus *pulchra*; alia comparativa, ut, Robur *Herculeum*. Alia Affirmativa, ut oculus *perspicax*; alia Negativa, ut Pennæ *non homini data*.

IX. Apud Oratores, nisi aliquid efficiant, redundant; ut Dentes *albi*. *humida* vina; quæ apud Poetas non reprehenduntur. Hæc igitur Energiam habent, si sint 1. *Significantia*; ut

ut Prodigium *inauditum*. 2. Si *Splendida*; ut Virtus *Singularis*; *eximia*. 3. Si *Superlativa*; ut Hic locus ad agendum *amplissimus*, ad dicendum *ornatissimus*. 4. Si *consonantiora*, qualia sunt composita; ut *Consceleratus*, *Condecoratus*. 5. Si *graviora*; ut si pro Improbo dicas *Latronem*. 6. *Hyperbolica*; ut Gentes multitudine *innumerabiles*, locis *infinitas*.

X. Categoriæ, seu Prædicamenta Arist., unde Epitheta, præsertim Poesi inservientia, eruas, sunt. 1. *Substantia*: ut Pons *ligneus*, Arma *ferrea*. 2. *Qualitas*; ut Miles *ferox*. 3. *Quantitas*; ut Mare *profundum*. 4. *Actio*; ut Telum *sanguineum*. 5. *Passio*; ut Vestis *lacera*. 6. *Relatio*; ut Æneas *Trojanus*. 7. *Locus*; ut *Silvicola* Fauni. 8. *Tempus* ut Rosa *Verna* 9. *Situs*; ut Pastor *resupinus*. 10. *Habitus*; ut *Loricatus* Miles, Ovis *lanigera*. &c.

XI. Præferenda quæ *Colorem*, ut Ripa *virens*; *Motum*, ut Sagitta *volans*; *Animum*, ut Ensis *crudelis*; & *eruditionem* continent; ut *Scythicus* arcus, *Peltata* Amazon, Tibur *Argaum*, &c.

XII. In humili ac Sententioso Stylo Epitheta moderanda: Mediocre, & sublime scribendi genus Epithetis sit abundantius.

XIII. Ad Stylum formandum nihil æquè confert, ac *Paraphrasis* [quæ est *fusior sententia explicatio*.] Fit autem per Synonymiam, & Expolitionem: quæ quidem fidelis sit oportet; ut & Sensui Auctoris inhæreat, nihil dissimulans, nihil importunum adijciens; neve aliorsum per intempestivas digressiunculas divagetur.

IV. Styli Vitia.

I. Si sit *Inflatus*; h. verbis, & translatis, sententijsque plus justo intumescens.

II. *Cacozèlus*; qui Imitationi nimiùm est addictus.

III. *Parenthyrsus*, quasi insaniens intempestivis affectibus, & figuris.

IV *Puerilis*, vel *Frigidus*; qui puerilia ornamenta, frigidos lepòres, ineptas allusiones, elaboratos flosculos, sententias, figuras, descriptiunculas, minùs opportunè interserit Orationi.

VI. Hu-

V. *Humilis*; qui omnia sectatur humilia, & communia.
VI. *Dissolutus*; qui sine connexione est, aut nil sibi cohærens.
VII. *Fluctuans*; qui sine nexibus, & articulis huc illuc fertur.
VIII. *Exanguis*, *Aridus*, *Jejunus*; h. sine ornamentis, & succo Orationis.
IX. *Miscellaneus*; qui modò sublimis, modò humilis fertur; & cothurnos cum socco miscet.
X. *Scholasticus*; qui totus in præceptis, monitisq; versatur.
XI. *Antiquarius*; h. totus eruditionibus confertus.
XII. *Poeticus*; h. phrasibus, & speciebus poeticis audaciùs utens, & numeris, ac pedibus nimiùm illigatus: tametsi etiam in Oratione species poetica, modò rarior, vim, & venustatem habet. Vide quatenus in *Allegoria* §. 5. n. 1. in Epimetro.

V. Epimetron.

Auctores Linguæ Latinæ, & quatenus eorum stylus imitandus.

I. Mitto vetustissimam illam, ac ferream ætatem Latinitatis; ad quam referuntur *Leges XII. Tabularum*, *Columna rostrata Duillij*, quæ Romæ adhuc extat, & *Salia-res hymni Numæ Pompilij*; quorum fragmentum a Varrone citatur: *Duònus Ceruses Deivos Ianos venet.* [h. Bonus Creator Divus Janus venit]

II. Mitto etiam rudem, ac æneam; quæ incipit a *Livio Andronico*, primo versuum latinorum Scriptore; quem secuti *Nævius*, *Cæcilius*, *Pacuvius*, *Accius*, *Ennius*; quorum stylus jam obsoletus.

III. Auctores optimæ linguæ propono: ac primò quidem *Plautum*, haud temerè tamen, propter impuros amores, legendum; & *Catonem* de Re rustica; qui paulò ante seculum aureum floruère.

IV. Aureum seculum est Spatium illud annorum ferè centum, quod vulgò *Augusti ætas* nuncupatur. Hac ætate re-

cen-

censentur inter Oratores *Cicero* Eloquentiæ Pater, & *Cornificius*, Auctor librorum quatuor ad Herennium, tum *Q. Frater*: inter Historicos *Sallustius*, *Livius*, *I. Cæsar*, *A. Hirtius*, *Cor. Nepos*: inter Poetas *Terentius*, *Pub. Syrus*, *Lucretius*, qui tamen paululùm ætatem auream præcessère; *Virgilius*, Poetarum Princeps, *Horatius*, *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, *Ovidius*, *Cor. Gallus* (qui omnes cautim, nec nisi expurgati, legendi) *Phædrus*, & *Manilius*: inter Medicos *Cor. Celsus*; inter Architectonicæ Scriptores *Vitruvius*; inter Scriptores de Re rustica *Varro*.

V. Ætate jam sub Augustum decolorari incipiente florent vario colore *Iustinianus*, latinissimus ille quidem, *Q. Curtius* purus, & latinus, *Velleius Paterculus* elegans, sed interdum atrox, *Pomponius Mela* latinus, & elegans, *Columella* elegantissimus, *Val. Maximus* aliquantum barbarus, *Seneca Philosophus* ingeniosus; sed confragosus, *Cor. Tacitus*, acutior, sed acerbior, *Quintilianus* durior, *Phrontinus* non inconcinnus, *Plinius ma:* subtilis, sed subobscurus, *Plinius mi:* paulùm ab nitore deficiens, *L. Florus* amœnus, sed in multis contortus, *Suetonius* accuratus, *Iustinus* rerum imperitior. Inter Poetas, *Lucanus*, ingeniosus, sed elatus, *Seneca* intemperanti ingenio, *Persius* acutus, & Profundus, *Juvenalis* doctus, & eloquens, legendus tamen expurgatus; *Silius Italicus* Virgilij imitator, sed longo intervallo, *Statius* confragosus, in silvis cultior, *Val. Flaccus* Statio præferendus, *Claudianus* meliore seculo dignus, *Martialis* acutùs, cautè tamen, nec nisi expurgatus legendus; *Prudentius* eruditus, sed Barbariem sæpe redolens. Adde *A. Gellium*, *Ulpianum*, *Asconium*, *Macrobium*, *Paulum* Jureconsultum, *Apuleium*, *Ausonium*, *Boetium*, *Latinum Pacatum*.

VI. Inter Recentiores lege *Sannazarium*, *Muretum*, *Bembum*, *Sadoletum*: tum *Maffeium*, *Petavium*, *Perpinianum*. *Tursellinum*, *Rapinum*, *Stephonium*, *De la Rue*, *Jannettasium*, *Ferrarij*, *Pomonam*, & *Floram*, *Famianum Strada* &c.



§. VII.

§. *VII.*

De Periodo.

I. Quid, & quotuplex sit Periodus.

I. PEriodus (h. verborum circuitus) est *Oratio in quodam quasi orbe inclusa, procurrens, quoad insistat in plena absolutaque sententia.*

II. Duas habet partes: *Colon* [h. Membrum] quod sensum quidem habet, non eum tamen absolutum, & *Comma* (h. Incisum, sive Articulum) Membri partem sensu imperfectam. Sit exemplum.

III. *Quàm honestum, quàm utile, quàm jucundum* (en! tria Incisa) *cum ijs adolescentibus versari* [ecce! membrum unum] *qui literis, qui pietate, qui omni virtutum laude florescunt* [ecce! altera Incisa, alterum Membrum, & Periodus.]

IV. Multiplex est Periodus. Prima *Monocòlos* (h. Unimembris) ut, *Tantam enim mansuetudinem, tam inusitatam, inauditamque Clementiam, tantum in summa Potestate rerum omnium modum, tam denique incredibilem Sapientiam, ac prope divinam tacitus nullo modo præterire possum.* Cic. pro Mar.

V. Secunda *Dicòlos* (Bimembris) 1. *Nullius tantum est flumen ingenij, nulla dicendi, aut scribendi tanta vis, tantaque copia;* 2. *quæ non dicam exornare, sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit.* Cic. ib.

VI. Nota. Periodum Dicòlon eam optimè evolui, in qua sit *Pròtasis & Apòdosis* [h. Antecedens, & Consequens] ita inter se connexæ, ut altera ab altera pendeat beneficio particularum *Tam, Quàm; Tantùm, Quantùm; Tantus, ut; Licet, Tamen. Tot, Quot; Non solùm, Sed etiam; Quemadmodum, Sic*; & Similium Correlativarum: ut, 1. *Tantus est enim splendor in Laude vera, tanta in Magnitudine Animi, & Consilij Dignitas;* 2. *Ut hæc a Virtute donata, cetera a Fortuna commodata esse videantur.* Cic. ibid.

VII. Tertia *Tricòlos* (h. Trimembris) Exemplum quo nihil artificiosus, Cic. pro Quint. in quo partes omnes sibi invicem mirè respondent. 1. *Si* veritate Amicitia, fide Societas, pietate Propinquitas coitur; 2. *Necesse* est, iste, qui Amicum, Socium, Affinem, fama, ac fortuna spoliare, conatus est; 3. *Vanum* se, ac Perfidiosum, & Impium esse fateatur.

VIII. Quarta *Tetracòlos* [h. Quadrimembris] Cic. pro Quint. 1. *Si* tu, Judex, nullo præsidio fuisse videbere, contra vim, & gratiam, solitudini, atque inopiæ, 2. *Si* apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur: 3. *Profectò* nihil est jam sanctum, atque sincerum in Civitate; 4. *Nihil*, quod humilitatem cujusquam gravitas, & virtus Judicis consoletur.

IX. Hæc adhuc perfectior erit, si quaterna membra ita inter se recurrant, ut duo postrema primis duobus ex æquo respondeant: diciturque Periodus *Quadrata*, omnium perfectissima. Cic. pro A. Cæcin. 1. *Si quantum* in agro desertiïsque locis Audacia potest; 2. *Tantùm* in foro, atque judicijs Impudentia valeret: 3. *Non minùs* in causa cederet A. Cæcinna Sex. Æbutij Impudentiæ; 4. *Quantùm* in vi facienda cessit Audaciæ.

X. Quinta *Polycòlos* (h. Multimembris, seu Membratim ducta) cùm in singulis membris subsistit oratio: valetque ad narrandum, describendum, altercandum, atque ubi pugnaciter agendum, plusque acrimoniæ requiritur, quàm gravitatis. Cic. Catil. *Quousque tandem abutere Catilina, patientia nostra? Quandiu nos etiam furor iste tuus eludet? Quem ad finem sese effranata jactabit audacia?* &c. Catil. 2. *Non enim jam sunt mediocres hominum libidines; non humana audaciæ, ac toleranda; nihil cogitant, nisi cædes, nisi incendia, nisi rapinas: patrimonia sua profuderunt; fortunas suas liguvierunt: res eos jam pridem, fides deficere nuper cœpit: eadem tamen illa, quæ erat in abundantia, libido permanet.*

XI. Sexta *Polycommatica* (h. Incisim ducta) cùm in singulis incisis insistit oratio. Valet ut Polycòlos; & ad arguendum, contendendum, deridendum, refellendum. Cic. 2. Catil. *Tandem aliquando, Quirites, L. Catilinam furentem auda-*

audacia, scelus anhelantem, pestem patriæ nefariè molientem, vobis, atque huic urbi ferrum, flammamque minitantem, ex urbe vel ejecimus, vel emisimus, vel ipsum egredientem urbe prosecuti sumus: abijt, excessit, evasit, erupit.

XII. Septima *Colocommatica* [h. membris, & incisis permista] quæ peculiarem venustatem habet. Cic. pro Arch. *Hæc studia adolescentiam alunt, Senectutem oblectant, secundas res ornant, adversis perfugium, ac solatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.*

XIII. *Perigraphica* (h. Circunscripta, seu circunducta, Fusa, Volubilis) est; quæ pluribus contexta membris, vel incisis, longo verborum, sententiarumque circuitu velut in orbem sic evoluitur, ut legentis, vel audientis animum impleat, & ultra satietatem non excurrat. Cic. pro Marc. *Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus; Omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium, potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum regum res gestas, cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri.* Hæc toti generi Epidictico, & interdum Historiæ, peridonea.

II. De Numero Periodico.

I. CUm Animus bene dispositus quandam in se se harmoniam contineat, Numero Periodico mirificè delectatur. Hujus primus Auctor Trasymachus; post hunc concinnior, & castigatior Isocrates.

II. Definitur ab Arist. *Rhythmus quidam, non exquisitus ille quidem, neque canorus; qualis est in Poematis, & Canticis; sed ita dissimulatus & latens; ut sentiatur tamen, & jucundo fine concludat.* Pendet itaque a certâ syllabarum quantitate, & idonea verborum collocatione, ac structura, quæ cohærentem, leniterque fluentem reddat orationem; ut *Neque claudicet* (inquit Tullius) *neque fluctuet, sed æqualiter, constanterque ingrediatur.*

III. Huc confert Pedum ratio, quibus inchoanda, intersisten-

ſtenda, & claudenda Periodus. Syllabæ enim breves, ac longæ temperandæ ſunt, atque alternandæ; niſi ad rem exprimendam ex induſtria breves vel longæ ſint coacervandæ. [Porrò Pedum indicem habes ſub calcem Operis] Has accipe obſervationes.

IV. *Jambus* (ait Ariſt.) humili, & vulgari ſermoni congruit. *Trochæus* ob brevitatem dignitatem non habet, *Pæones* in ampliori Oratione aptiſſimi. Cic. *Creticum, Dòchymum, Dichoræum*, ac *Pæònes* ceteris pedibus anteponit. *Dactylos*, *Anapæſtos*, *Spondæos*, in heroo Numero probat, modò alternos, atque permiſtos. Mediæ Orationi aptum dicit *Pæonem*, & *Dòchimum*: alibi & *Crèticum*, & *Bacchium*. In Clauſulis *Spondæus* firmior (hoc maximè uſus Demoſth.) *Pæon* Ariſtoteli, & Ciceroni, ſed huic magis *Creticus* arridet in Clauſulis; præſertim ſi geminatus, aut ſpondæum præcedens. *Dochimus* in clauſulis ſtabilis: imo quovis in loco aptus eſt, modò non iteratus.

V. Si celeriorem vis orationem, crebros *Trochæos*, & *Jambos* inſere; ſi lentiorem, *Spondæos*; ſi moderatiorem *Creticos*, *Bachios*, *Antibachios*, *Dichoræos*; alioſque, qui longis, & brevibus temperentur.

VI. *Indignationi*, & *Gaudio* ſerviunt *Dactyli*, *Anapæſti*, *Choriambi*, alijque pedes volubiliores. *Obiurgationi* crebræ eliſiones, & aſperiores literæ ſæpiùs recurrentes; cum cæſim membratimque ductæ periodi. *Commiſerationi*, & *Dolori* voces ſuaviores, tardèque incedentes, cujuſmodi *Spondæi*, *Moloſſi*, & *Epìtriti*.

VII. Res *humilis* minutiores requirit numeros; *Mediocris* liberiores, *Gravis* verò grandiores.

III. Tulliana quædam exempla inchoandæ, ſiſtendæ, abſolvendæ Periodi.

I. INitia Periodi [præſertim in Exordijs diligentiam requirunt: nam ad hæc intentior eſt Auditor].

Quanquam mihi ſemper frequens conſpectus veſter. Tandem aliquando, Quirites.

Si, Patres Conſcripti, pro veſtris immortalibus &c. Cùm multa divinitus, Pontifices. Cùm

Cùm propter egregiam, & singularem &c. Etsi vereor, Judices, ne turpe sit.

Quousque tandem, abutere, Catilina, &c. Diuturni silentij, Patres Conscripti.

Si quantum in agro, desertisque locis. Quo nam meo facto, Patres conscripti. Animadverti, Judices, &c.

Neminem vestrum ignorare arbitror, Judices. Cùm in omnibus causis &c. Patior, Judices, &c.

II. *Initia quædam Periodi intermedia.* Tantam enim mansuetudinem. Tantus est enim Splendor in laude vera. Itaque quò me vertam nescio. Habes igitur, Tuberò. Dolebam enim, Patres Conscripti.

Et per Monosyllaba. Quis enim est illo. Est enim hæc, Judices. At etiam sunt, Quirites. Quem quidem ego hostem. Et ceteros quidem omnes. Ac primum illud a te &c.

III. *Membrorum clausula.* Quæ res in Civitate duo plurimum possunt. Quod erat optandum maximè Judices. Reliquos amplissimos viros. Si pietate propinquitas colitur. Soleo sæpe ante oculos ponere. Gladium vagina vacuum in urbe non vidimus.

IV. Periodi exitus diligentiùs elaborandus; quòd in eo perfectio judicetur; & aures maximè finem expectent. Fiat plerunq; per verbum, aut participium; nisi aliter rei expressio requirat. Hæc autem sæpiùs sint quadrisyllaba, penultima producta, quibus præcedat polysyllabon pen. correpta, vel etiam monosyllabon. Vel finiri potest trissyllabo pen. prod., cui præcedat dissyllabon, vel polysyllabon pen. prod. Potest & monosyllabo terminari, aliave ratione: qua in re judicium aurium est consulendum. *Vide subiecta Exempla.*

Ciceronis sunt. Interpretando Rempublicam conservarent. Ab interitu vindicasti. Cum his, qui sedeant, Comparandus. Tuum contaminatum spiritum pertimescerem. Eorum exitus non perhorrescere. Et conservare quam plurimos. Operæ plurimum, studiique consumere. Meo pristino more dicendi. Unius opera servatam judicaverunt. In militiæ disciplinam profectus est. Qui su-

perſuerunt amiciſſimi ſint. In oblivionem diuturnitate adducta ſit. A fortuna commodata eſſe videantur. Vanum ſe & impium eſſe fateatur.

IV. Alia quædam ſuper Periodo notanda.

I. PEriodus optima ea eſt, 1. cùm membra inter ſe aptè cohærent, præſertim comparia per *Iſocòlon*. 2. Cùm ſenſus non niſi in fine percipitur. 3. cùm exitus pleniore ambitu, verbiſque conſonantioribus terminatur.

II. In ingreſſu Exordij, & in exitu totius orationis Periodus & magnificè ingredi, & concinnè devolui, & numeroſè cadere debet. Præterea cùm laudat, ornat, amplificat.

III. Moneo nè in Periodi ſtructura induſtriam affectes: ſed cures, ut ipſa *facilè*, ac veluti *ſponte ſua* fluxiſſe videatur: quanquam hoc *Facile*, o quàm difficile!

IV. Ne verba ſolùm Periodus otioſè contineat, ſed & res; nempe argutiam, affectum, argumentum, eruditionem, figuram &c. In Epithetis ſeligendis potiſſimus [ut dictum eſt] labor ſit. Nè apertè verba traijciantur, quò meliùs evoluatur oratio; neve inania complementa, & quaſi ramenta numerorum, ceu rimas impletura, includantur: Ne ulla denique Periodi pars in partem Carminis, & unà Orator in Poetam, deſciſcat.

V. Non ſemper Oratio periodica, & numeroſa eſſe debet; ſed quatenus in ſecundo numero dictum eſt. In Contentionibus, & Affectibus, cæſim potius feratur: nam in Ornatibus Pompa, in Contentionibus Fides, in Motibus Pugna inſtituitur: Artificium autem tum Affectum, tum Fidem minuit. Varianda item Periodus ad ſimilitudinem evitandam; quæ mater eſt Satietatis.

VI. Cùm res magna proponitur, Periodus ſit productior. In Narrationibus item numeroſior eſſe poteſt: Narratio enim plus dignitatis deſiderat, quàm doloris: cùm verò arguit, inſectatur, inſtruit, & perorat; conciſior, quàm numeroſior ſit oportet.

VII. Cùm periodicè dicendum, ſi Periodus eſt brevior, membra ſint productiora; ſi longior, breviora; ut multitudine corrigat tarditatem.

§. VIII.

§. VIII.

Amplificatio (gr. Auxèsis.)

I. AMplificatio est *Gravior quædam rei affirmatio* , *quæ cum motu animorum conciliat fidem*.

II. Duplex autem est; altera *verborum* , altera *rerum* : 1. est propriè *Auxesis* , 2. grecè dicitur *Dinòsis* : utraque id, quod simpliciter prolatum parvum videtur, ita auget, ita ejus dignitatem exponit, ut admirationem pariat, & motum conciliet; qui ipse est finis Amplificationis.

III. Amplificatio verborum habetur per Tropos, & Figuras jam pertractatas, & per delectus vocabulorum, & phrasium; ac præsertim per Epitheta splendidiora; de quibus supra §. 6. n. 3.

IV. Sit hoc Thema : *Virtutem amo*. Dilatabis 1. per phrases, & synonyma: pro quo tria selige, quatuorve Virtutis Epitheta; e.g. *Decora* , *pulcbra* , *splendida* , *mirifica*. Ex his unum, vel alterum in Substantiva converte, verbo *Amo* per phrasin explicato; hoc fermè pacto. *Mirificum pulcberrimæ Virtutis splendorem, ac decus amore prosequor quàm possum maximo, ac vebementissimo*. Præterea quò plura Epitheta congeres, plura Substantiva egerminabunt; & ipso quoque verbo multiplici phrasi explicato, gliscet Periodus, & dignitas orationis. e.g. *Mirificum pulcberrimæ Virtutis splendorem, singularem dignitatem* , *nobilitatem eximiam, summam amplitudinem* , *speciosissimum decus* , *incredibilem honestatem* , *cœlestem formam* , *lucemque planè divinam, unicè diligo* , *eam studijs omnibus* , *& amoribus foveo* , *in antiquis babeo* , *in oculis fero* , *tota mente animoque complector.*

V. 2. Hoc idem per varias figuras efferri potest; per Interrogationem: *Non diligam* &c. ? per Exclàmationem : *Quàm diligo* &c.! per Apostrophen : *O Virtus* &c. ac per alias.

VI. Amplificatio rerum ex Quintil. quatuor fit modis. 1. per *Incrementum*. 2. per *Ratiocinationem*. 3. per *Comparationem*. 4. per *Congeriem*.

VII. *Incrementum* est Figura Gradationis, & Auxeseos, de

quibus dictum suo loco: itaut per gradus deveniatur ad summum. *Ratiocinatio* fit cùm unum augetur, ut aliud crescat: sic amplificatur belli difficultas, quò magis elucescat virtus Imperatoris, & gloria Victoriæ: Tyranni crudelitas, & tormentorum acerbitas, quò crescat Constantia Martyris. Virgilius Turnum laudat, ut Æneæ virtus existat. *Comparatio* fit per Exempla similia: Sic Cic. Pompeij laudes amplificat Comparatione magnorum Imp.

VIII. *Congeries*[gr.Synatrœsmus]qua nihil magis confert ad uberiorem Amplificationem; est Coacervatio 1. *Definitionum*, sive, quod dicitur, per definitiones conglobatas: ut si Virtutem appelles *Felicitatis Auroram*, *Gaudiorum Parentem*, *Beatitudinis Germen*, *Salutis Portum*, *Gloriæ Thesaurum*, *Divinitatis Speculum*, *Balsamum Immortalitatis*, &c. 2. *Adiunctorum*:ut si Christi cædem describens, Personam, quæ patitur, ejusque Divina Attributa perpendas; Crucis suplicium ignominiosissimum, acerbissimum; Carnifices immanissimos; clavos, vulnera, sanguinis rivos; latronum comitatum, adstantem Deiparam, Angelos, populos spectatores, convicia, ludibria, locum, tempus, Cœlum, terram, elementa velut ingemiscentia: tum modum quo Deus patitur, pro quibus, & cur patitur, omnia dicas divinum Amorem ostendere humanam Impietatem incusare. 3. *Partium*: enumerando e. g. partes Florentinæ Urbis ad ejus pulchritudinem ostendendam; Compita, Templa, Palatia, Fora, Porticus. Pontes, Statuas &c.

4. *Causarum.Effectuum.Consequentium*: sic variæ Bellorum causæ conglobantur, *Luxus*, *Otium*. *Ambitio*, *Cupiditas*, *Superbia*, *Fastus*, *Potentia*: sic fœdissimi eorundem Effectus, & Consequentia recensentur: 5. *Similium*, *Comparationum*, *Exemplorum*: sic alicujus Avaritiam exaggerabis congerẽdo similitudines rapacium belluarum, comparationes, & exempla homioum avaritia æstuantium. 6. *Contrariorum*: sic existet summum Virtutis Decus, & Gloria, si Vitiorum omnium fæditas exhibeatur.

IX. Nota I. Nihil conferre magis tum ad uberiorem amplificationem, tum ad modulatiorem Orationem, quàm *Synatroesmum*, sive Congeriem prædictam.

X. No-

X. Nota II. Conferre ad eandem si per *Apòphasin* inchoetur, h. Negationem Oppositorum: ut, si Virtutem laudaturus, dixeris, eam *Absynthium* non esse amaritiæ succo imbutum, non *Aconitum* veneni tabe infectum; non *Labem* Animi, vel Corporis Bona contaminantem &c. quid enim in illa vel amari, vel noxij, vel turpis inest? &c.

XI. Nota III. Duo esse in Amplificatione vitanda. 1. ne ad minutissima quæque descendat. 2. Ne ad explendum numerum vacuas voces, & inanem verborum sonitum interijciat.

XII. Nota IV. Providendum est, ut Amplificatio semper ad majora procedat: post quæ nil levius subijciatur.

CAPUT IV.

Memoria (gr. Mnème.)

§. *I.*

Quid sit, & Quotuplex.

I. MEmoria est *Rerum inventarum, ac verborum firma recordatio.*

II. Duplex est, *Naturalis*, & *Artificialis*.

III. Naturalis multifariam distinguitur. 1. *Aquosa* (in qua velut in Aqua, nihil imprimitur) 2. *Arenacea* (in qua res imprimuntur, sed citò obliterantur) 3. *Marmorea* [in qua difficilè res imprimuntur, sed semel impressæ, tenaciter hærent] 4. *Papyracea* (quæ & facilè arripit, & arrepta firmiter servat.) Hæc verò gratuitum est Dei donum.

IV. Artificialis & Aquosam, & Arenaceam, & Marmoream juvare potest, modò ea, quæ subijciuntur, monita observentur.

(✠) (✠) (✠)

§. II.

Quædam Memoriæ Adminicula.

I. RErum intellectio, & tranſcriptio. 2. Metodus ordinata, ac certas in partes, numeros, notas digeſta Scriptionis. 3. Aſſidua exercitatio. 4. Mentis ab omni cura vacuæ tranquillitas, animique nihil ſibi conſcij ſerenitas: Animus ſiquidem crimine perturbatus non eſt aptus ad id muneris exequendum. Cibi potuſque uſus temperatior: nihil enim æque officit Memoriæ, ac Crapula. 6. Locus ſemotior, omnique ſtrepitu vacuus. 7. Tempus matutinum poſt mediocrem ſomnum in dextero, aut in alterutro potiùs latere, quàm in occipitio; favente ſcilicet Aurora Muſis amica. 8. Serotina rerum manè comprehenſarum repetitio. 9. Non tacitè, ſed voce ſub initium preſſa diſcendum: poſteà verò quàm memoriæ mandaſſe videmur, voce elatiori, nec ſine geſtu recitandum.

EPIMETRON.

Subijciam & illud Memoriæ Artificialis adminiculum, quod ex prolixa Raymundi Lulli doctrina decerptum eſt. 1. Animo pingere locum ipſum in quo dicendum eſt; vel ſaltem locum aliquem amplum, multa partium varietate diſtinctum. 2. Singulis eiuſdem partibus, ea quę memoriter dicenda ſunt commendare: e. g. Ianuæ, gradibus, feneſtris, altaribus, columnis, fornici, tabulis, ſtatuis &c. 3. Quæ partibus ijsdem ſunt credita, eadem in chartę margine, ubi conſcripta ſunt, certis, & congruentibus ſignis, & imagunculis adnotare: e.g. Si de Cœlo loqueris Aſteriſcum, ſi de navi Anchoram, ſi de Bello Jaculum pingas. Si de Prudentia Speculum, de Juſtitia Libram, de Charitate Flammam, de Virginitate Lilium; & ſimilia Schemata, ac ſymbola.

III. Tene ſcitum illud Effatum; *Tantum ſcimus, quantum memoria mandamus.*

CAPUT V.

Pronunciatio (gr. Phonèſis.)

I. PRonunciatio [in qua vis omnis, & gratia, quamque Tullius quandam *Corporis Eloquentiam* vocat] eſt *Vocis*, *&* *Geſtus idonea moderatio*.

II. Duas proinde habet partes, *Vocem*, in qua propriè ſita eſt Pronunciatio; & *Geſtum*, qui Actio propriùs appellatur. De utroque nunc ſeorſim.

§. *I.*

De Voce, quæ gr. Phònos.

I. VOcis dotes: ſit 1. *Sonora* [Naturæ donum, arte tamen juvandum, tum abſiſtentia a cibis, potibuſq; officientibus, tum Calidæ potu ſaccharina compoſitione dilutæ] 2. *Firma*, *conſtans*, *æquabilis* [quæ exercitatione obtinentur] 3. *Mollis*, *ac Flexibilis*, proque Argumenti diverſitate *variabilis*.

II. In Exordio (niſi ex abrupto fiat) ſit *Sedata*, *Gravis*, *Verecunda* [eſt enim Inſcientis, & minùs de re tota deque Auditorum gravitate cogitantis Audacter ingredi] paulùmque ſubſiſtat Orator, quaſi cogitabundus, antequam dicat [qua in mora vitium eſt, caput mulcere, vel ſcalpere, manum intueri, habitum circunſpicere, lacunar ſuſpectare, infringere articulos, oſcitare, validè excreare, ſternuere, ſeſe emungere, ſimulare conatum, ſuſpiratione ſollicitudinem fateri)

III. In narratione ſit *familiaris*, in confirmando *acris*, in ſuadendo *gravis*, in exhortando *fortis*, in precando *lenis*, in exclamando *vehemens*, in iracundia *incitata*, *acuta*, crebròque *incidens*, in miſeratione *flebilis*, in re lęta *hilaris*, in re triſti *preſſa*, & *interrupta*, in metu *contracta*, *demiſſa*, *haſitans*, in amore *effuſa*, & *explicata*, in impetu *elata*, in do-

dolore *gravis*, unoque sono *deducta*, in voluptate *tenera*, *remissa*, *lenis*, in perorando demum, quasi parta Victoria *excitatior*.

IV. Vocis vitia: 1. si *cantillans*, quasi sese Orator auscultet: 2. si *monòtona*, h. unius, perpetuique tenoris. 3. si *furiosa* &, *ululans*. 4. si *Stridula*, supraque vires *intenta*. 5. si nimiùm *praeceps*. 6. si nimis *lenta*, & tractim quasi stillans, & irrorans verba. 7. si *inflata*, ac *tumens*; praesertim ubi A. litera pronuncianda, ut O. potiùs proferri videatur. 8. si *confusa*, h. non legitimis interpunctionibus articulata. 9. si ultimas syllabas, vel literas *absorbens*. 10. si nare potiùs, quàm ore *prolata*. 11. si *suspiriosa*, h. crebris suspirijs fracta, & intercisa, & graviùs anhelata. 12. si *exilis*, & muliebriter *emollita*, sive ad effoeminationem *attenuata*, & *lasciviens*. 13. si *vasta*, & faucibus nimiùm diductis emissa; quod gr. dicitur *Platiasmus*, h. verborum latitudo.

V. Nota tres vocis principes commutationes. 1. est *moderatior* familiari sermoni accommodata. 2. paulò *major*, apta ad hortandum, & leniores motus ciendos. 3. *vehementior*, apta ad commovendum: qui vulgò dicitur *Tertius tonus*. Non enim laudandus Orator *Statarius*, sive *Gradarius*, h. semper leniter, & moderatè agens, & loquens.

§. *II.*

De Gestu, qui gr. Parastèsis.

I. STatus *Corporis* sit *erectus*, & *excelsus*, & quasi basilicus, ac regius. Demittere se, tum resupinare, remigum est: neu vacillet Orator, quasi e lintre loquatur. Sedere interdum in narrationibus licet.

II. *Caput* ne stet rigidum, ne saxeus homo videare: neu supinum, nam hoc superbiam; neu dejectum, nam hoc abiectionem animi indicat; neve obstipum, nisi cum tristitia, aut poenitentia significanda; sed medium quendam servet statum, & oratoriam majestatem.

III. *Oculi* manum sequantur, nisi Aversio, Indignatio, Negatio

gatio sit exprimenda: ne stent uno defixi loco, neu devorent unum quempiam: ne tremuli nictent (hoc enim malitiam olet) neu sint extantes, & emissitij (hoc enim audaciam) neu stent rigidi (hoc enim stuporem) vel semiclausi (hoc enim adulationem) neu nimia modestia affectetur. Oculorum mobilitas index est agitationis mentis: æquabilis autem, & numerosus motus, & quædam quasi lenis modulatio gratiam conciliat. In oculis mira vis: inde exerunt sese pictæ affectiones.

IV. *Supercilia* ne palpitent, aut saliant: sed modò stent immota, aut diducantur, aut contrahantur, modò inæqualiter dissideant, prout oratio postulat.

V. *Subridere* Philosophico quodam risu, & decoro gelasino, in lætitiæ significatione licet. Labia valgiter repandere, seu distorquere illudendi gratia, aut linguam exertare; tum loqui labijs, tussire, & se vel alios despuere, turpe.

VI. *Frons*, nisi res tristis significetur, rugis non contrahenda, non manu ferienda: neu prostituta sit, aut ferrea, & audax; sed pura. Veteres Genio dicatam dixere.

VII. *Vultus* totus pro ratione argumenti componendus: jam supplex videatur, jam minax; blandus, hilaris, tristis, erectior, atque explicatior. Non tamen sæpiùs mutanda oris species, ne levitatem præseferat, nec facies nimiùm proferenda.

VIII. *Collum* ne in alterum humerum flectatur, nisi modicè, cùm preces adhibendæ.

IX. *Humeri*, nè subrigantur, neu subsultent, neu gloriosè circunroten tur, sed naturalem servent modum.

X. *Pectus* ne nimiùm proijciatur, aut contra inclinetur: nunquam verò ab Auditoribus avertatur.

XI. *Latera* viriliter, ubi opus sit, flectantur: neu proijciantur, neu manu pulsentur, neu tremula sint, & exilentia, aut vagis flexibus fluctuantia.

XII. *Brachia* ne vehementer jactentur, quasi adremigent; neu desidiosa pendeant: sed in contentionibus moderatè moveantur. *Porrecta* Auctoritatem, *cohibita* Pudorem arguunt, *suspensa*, *ponderosa*, *plumbea* Rusticanum quid olent.

XIII. Pe-

XIII. *Pedum* ſupploſio rara, nec niſi in Contentionibus, & Invectivis aut incipiendis, aut finiendis. Inceſſus & Excurſio ſit moderata. Micare, & argutari pedibus, quaſi facetis, & ludibundis, indecens eſt.

XIV. *Manuum* motus ita conformentur, ut loqui videantur exhibendo, poſcendo, minando &c. ita tamen ut aptentur rebus: ſecus ſolœciſmus erit in geſtu; ut ſi quis Cœlum nominans, terram indigitet. Cavendum verò ne nimis geſtuoſæ ſint, ut verbis ſingulis ſingulos geſtus apponant, nè in Mimum abeat Orator. Ferire femur, Scenicum eſt. Geſtus igitur ne nimis ſit accuratus, & ſatur: ne contra negligens, neu levior, jactatior, vaſtior, ac fractior: Ne digitis argutet; neve ad numerum articulus cadat. Manus ne caput ſuperet, neu faciem inumbret; nè perfricet, aut ſcalpat; ne capillum mulceat, aut retro agat, niſi fortè anteventulas comas in Adoleſcentibus, modeſtè tamen: neve intra pallium, vel togam contineatur. In pugnum contrahenda non eſt, niſi cùm iraſcimur; nec tota explicanda; neque digiti ſimul arctiùs uniendi, aut penitus ſejungendi, ſed leniter ſunt in volam cogendi. Utrunque Indicem intentare, indecens; Medium, indecentiſſimum. Adverſis palmis reijcimus: crebra manuum impreſſio urget, elatio ſupplicat: prona manus confirmat, ſublata admiratur, extenta ſilentium indicit: ori admota tacentis, aut ſilentium ſuadentis habitus eſt. Sub exordium parumper ſiſtat; deinde cum gravitate moveri incipiat. Siniſtra (quam *Furtificam* Poetæ appellant) niſi cùm oppoſitus Dexteræ motus exprimendus, nunquam ſola moveatur; ſed quieſcat, vel tanquam Ancilla Dexteræ ſubſerviat: Dextera verò, quæ Principatum obtinet in Actione, ſola ut plurimùm geſtum facit. Sub Periodi finem Manus ne pendens remaneat, ſed decenter declinetur: A ſiniſtro latere in Dexterum movenda, vel a mediò pectore extrorſum. Manuum colliſio, & comploſio [modò non clarò ſonitu, ſed leni appulſu fiat) Compectinatio, ſeu Complicatio, ſubiectio, atque humilis ſeſſio, ſubinde facienda, præſertim in ſignificatione triſtitiæ.

XV. Ita denique omnia componenda, ut nihil effœminati, ac

ac mollis; nihil nimium exquisiti, & elegantis; nihil demum agrestis ac duri, aut ingrati habeant. Honesta oris, & corporis compositio potentissimum est delinimentum ad Benevolentiam conciliandam.


XVI. Altè sedeat infixum animo illud Demosthenis, qui rogatus, quid in dicendo esset primum, quid secundum, quid tertium, primas, secundas, tertias uni tribuit Pronunciationi. Docetque Cyprianus, hanc tanti faciendam; ut *sine ipsa Summus Orator nullo in numero sit; Mediocris verò hac instructus, Summos sæpe antevertat*.

* * *
* *
*

PRIMÆ PARTIS FINIS.



SYN-




SYNTAGMA RHETORICUM

PARS ALTERA.

PECULIARIA QUÆDAM RHETORICÆ.

SYNOPSIS EORUM, QUÆ IN HAC PARTE TRACTANTUR.



Ersatur hæc pars in quibusdam Peculiaribus. Ea verò sunt 1. *Progymnasmata* Aphthonij, 2. Varia *Orationum* genera. 3. Hisce subijcitur Caput de *Epistolis*. 4. Brevis Tractatus de *Affectibus*. 5. Brevissimus de *Argutijs*. 6. De *Elogijs*. 7. Non nihil de *Historia*. 8. *Phrenoschemata*, vulgo Imprese. 9. Nonnulla ad *Poesin quidem spectantia*, sed Rhetoricæ Candidatis non ignoranda. 10. Selectiores denique *formulæ Proverbiales*.

CAPUT I.

Progymnasmata (h. Præludia) Aphthonij

I. PRæviæ sunt Exercitationes, secundùm triplex genus dicendi; quas Aphthonius Sophista, Græcus Auctor, pertractavit; Orationibus utilissimæ. Sunt autem quatuordecim; *Fabula*, *Narratio*, *Chria*,

Chria, *Sententia*, *Confirmatio*, *Confutatio*, *Locus communis*, *Laudatio*, *Vituperatio*, *Comparatio*, *Ethopœia*, *Descriptio*, *Thesis*, *Legislatio*.

II. Hæc ordine præire debuerant: sed visum est, quæ ad Theoricen pertinent primùm tradere, deinde quæ ad Praxin. Potest autem a Progymnaste vel Ordo inverti, vel utraque Pars componi, altera Discipulos erudiendo, altera exercendo.

Progymnasmata pro Genere Deliberativo.

§. I.

Chria (h. Usus.)

HAnc præmittendam, & fusiùs tractandam putavimus; tum quia nostro in Gymnasio valde usitatam, tum ut reliquis tanquam Norma quædam præluceat.

I. *Chria* græcè, latinè *Usus*, ob utilitatem, quàm affert, sic appellata; est *Ornata commemoratio*, *sive explicatio alicujus Dicti*, *vel Facti*.

II. Triplex est: *Activa*; *Verbalis*, *&* *Mista*. 1. Actionem aliquam, seu Factum exponit: e. g. M. Cato Uticen. Imperator in Africa Romanorum unà cum exercitu siti laborans, oblatam sibi a milite aquam sub omnium oculos in terram projicit. 2. Cujuspiam præclarè dictum explicat: ut, illud Solonis Athenien. Philosophi: *Beatus dici debet*, *dum vivit*, *nemo*. 3. Factum aliquod Dicto conjunctum enarrat: e.g. Crates Thebanus, quò Philosophiæ liberiùs vacaret, opes in mare projicit, dicens: *Mergo vos*, *ne mergar a vobis*.

III. Ab octo capitibus Chria tractatur: ab *Encomio*, a *Paraphrastico*, a *Causa*, a *Contrario*, a *Simili*, ab *Exemplo*, a *Veterum Testimonio*, ab *Epilogo*. Quæ capita compendiosè habes in hoc versiculo: *Laus*, *Dictum*, *Ratio*, *Contra*, *Par*, *Actio*, *Testis*

Hæc jam singillatim: & quidem in Chria verbali; a qua disce reliquas.

IV. Sit

IV. Sit Dictum illud Virgil. in Ætna: *Pietas homini tutissima virtus.*

Ab *Encomio*: h. ab ejus laude, cujus Dictum, vel Factum exponitur: quæ quidem petenda à Definitione, Notatione Nominis, Adiunctis, alijsve locis oratorijs. Pluribus autem rationibus, varijsque Figuris auspicari poteris.

1. *Simpliciùs, & planiùs*: ut, Clarissimus ille Musarum Antistes, Parnassi, atque Heliconis potissimum Decus, Latinæque Poeseos Lumen amplissimum; cui Carminis dignitas Poetarum obtinuit Principatum; qui nitore, ac pudore scribendi Virgineum Nomen promeruit; Virgilius, inquam, Maro, inter universas, quotquot protulit, easque Cedro dignas sententias, nullam, me quidem judice, aut veriorem, aut luculentiorem suis monumentis consignavit, quàm illam: *Pietas homini tutissima virtus.*

2. *Per Exclamationem*: Quàm sapienter gravissimus ille Poetarum Princeps concinuit, cùm pronunciavit &c. O sententiaenimverò Immortalitate plenissima! O doctissimo Poetarum Principe digna vox! O effatum Sapientum omnium calculis approbandum, Mortalium omnium animis insculpendum!

3. *Per Interrogationem*: Potuitne luculentiùs, nobiliùsque Vatum ille Antesignanus, Virgilius, inquam, effari, quàm cum cecinit &c.? Quæ splendidior unquam, uberiorque sententia ab ore Sapientum emanavit, quàm quæ latino ab Homero prolata est &c.

4. *Per Apostrophen.* Huc adeste, Adolescentes ingenui: Sententiam accipite, an gemmam? Virgilianam: nempe &c. Audite, universum mortale genus; audite, Pueri, Juvenesque, Virilis, ac Senilis ætas, quid concinat Latinus Vates, Mantuanus Olor &c. O præclarissime Vatum Coryphæe, Virgili! O Virgineo dignissime titulo, ac nomine! Quàm veram, tuæque consonam Tubæ, Venæque aureæ concolorem protulisti sententiam! videlicet &c.

V. *A Paraphrastico*: h. ab interpretatione ipsius Facti, vel Dicti: hac ferè transitione. 1. Quid enim *Pietatis* nomine intelligitur, nisi Virtus, qua debitus Deo, ac Cœlitibus Cultus, debitum Patriæ, Parentibus, ac Propinquis officium

ficium tribuitur ? [Tum dilatanda vox ipsa *Cultus*; nempe *Animi*, studium, cura, veneratio; *Oris*, laudatio, preces, consilia; *Operis*, honor, obsequia, subsidia, &c. 2. Dilatanda vox *Tutissima*: quæ sonat Tutari, Defensum dare, sospitem, incolumemque servare ab omni discrimine Calamitatis, ignominiæ, mortis: nihil enim æquè hominem, ac sua quenque Pietas, sospitat, ac fortunat. 3. Dilatanda demum vox illa *Homini*; qua comprehenditur omne Mortalium genus, ætas, conditio; tum secundum *Animum*, quem ab omni periculo Criminis, perturbationisque vindicat; tum secundùm *Corpus*, & Bona fortunæ, h. opes, domum, familiam &c. idque omni tempore, loco, ratione, &c.

VI. *A Causa*: h. causam afferendo, cur verè sapienterque Dictum illud, vel Factum videatur: his fere transitionibus. 1. *Quòd* si hujusce rei causam quæritis, dicam; idcirco Pietatem tutissimam esse, quia cùm hæc Virtus sit gratissima Superis, Mortalibus Venerabilis, ea quisquis sit maximè instructus, non possunt utrique, quin, ut eundem tueantur, ac foveant, omni ope studioque contendant. 2. *Scitaris, cur* Pietas usque adeò tuta sit, suique Cultores tutetur? ratio est, quia &c. 3. *Nec sanè mirum*, si Pietas Hominem tutissimum reddat, ejusq; animum, corpus, famam, atque fortunas sartas, ut aiunt, tectasque servet: nam &c.

VII. *A Contrario*: h. ex contrariarum rerum conflictu id confirmando, quod propositum est: his ferè transitionibus. 1. *Contra verò* quid periculosius, perniciosiusq; tum corpori, tum animo; quid ærumnis, & calamitatibus omnibus obnoxium magis, quàm Impietas? Hæc enim &c. (Hic verò recensenda sunt damna, quæ ab Impietate proficiscuntur) 2. *Nihil e contrario* reperiri potest, quod majoribus Hominem infortunijs, miserijs, cladibus afficiat, ac premat, præter Impietatem, quæ &c. 3. *Atque ut liquidò constet*, & luculenter existat hæc veritas, Nihil Homini utilius, ac tutius accidere, quàm Pietatem, vel inde æstimare licet, quòd nihil eidem infensius, atque exitiosius est Impietate; nam hæc &c.

VIII. *A Simili*; h. Similitudine quapiam sententiam il-

lustrando: his ferè transitionibus. 1. *Quemadmodum enim* Arx munitissima valido circunquaque consepta vallo &c. (hæc verò fusius describenda) Patriam, & patrios Lares, ab infestis hostium aggressionibus defensat, ac tutos servat: ita &c. 2. *Haud aliter verò quàm* Thorax aheneus, vel Clypeus textu septemplici communitus, lethalibus telorum ictibus prorsus impervius, vulnera, & neces eludit: sic &c. 3. *Et verò* quod fidissima Portus ac Litoris statio præstat nautis, atque navigijs, quæ, post tumentes pelagi minas ejus in sinu placidissimè conquiescunt; id præstat Homini Pietas; quæ &c.

IX. *Ab Exemplo*: h. exemplo aliquo rei veritatem confirmando: his ferè transitionibus. 1. *Vos, vos, inquam* appello Viri eximia Pietate clarissimi, quos hæc Virtus ab omni hostium incursu tutata est. Te appello, Chrysostome; qui &c. te appello *Athanasi*; qui &c., te appello, Basili, &c. 2. *Testes sunt* illi Heroes, qui Pietatem mirè servantes ab illa servati sunt: testis Joseph Ægyptius &c. testes Babylonenses Pueri &c. testis Regius Vates &c. 3. *Experti sunt* præsentissimum tantæ Virtutis Præsidium amplissimi, ac sanctissimi Viri. Tu Carole Borromæe, &c. tu Ignati Loyola &c. tu Francisce Xaveri &c.

X. *A Veterum testimonio*: h. auctoritate antiqui scriptoris id cofirmando: his fere transitionibus 1. *Quid enim aliud* innuere voluit sonora Pauli Tuba, cùm vocem illam intonuit, *Pietas ad omnia utilis?* nam si &c. 2. *Audite verò*, quid in eandem sententiam scripserit Byzantinus Antistes Chrysostomus: *Pietas*, inquit, *magnus quæstus est*: si enim &c. 3. *Id ipsum sensit*, ac declarare voluit vel Tragicus Vates, cùm cecinit: *Nulla vis major Pietate vera est*.

XI. *Ab Epilogo*: h. quæcunque sunt dicta, brevi aptaque verborum comprehensione claudendo: his ferè transitionibus. 1. *Quæ cum ita sint*, si &c., si &c. (hìc verò recolligenda sunt omnia) quis eat inficias, ad Vitæ salutem, atque incolumitatem nihil tutius esse Pietate? 2. *Quæ si vera sunt*, ut verissima esse sanus inficiabitur nemo; si &c. si &c. an non sapientissimè pronunciavit Virgilius &c. 3. *Itaque fateamur* necesse est, nihil a Poetarum maximo dici veriùs

sa-

sapientiúsque potuisse, quam cum cecinit &c. hoc siquidem firmissime comprobant quæ hactenus sunt disputata: nempe &c.

§. II.

Sententia (gr. Gnome.)

I. Est Oratio, sive Effatum, breve, universale, perpetuum, ad mores pertinens.

II. Multiplex est: 1. *Simplex*: ut *Generosos animos labor nutrit* (Sen.) 2. *Composita* ut *Obsequium amicos, Veritas odium parit.* [Salust.] 3. *Vera*: ut, *Nobilitas sola est, atque unica virtus.* (Juven.) 4. *Probabilis*: ut, *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* (Menand.] 5. *Hortatoria*: ut *Omnem crede diem tibi diluxisse supremum* [Hor.] 6. *Dehortatoria*: ut *Res Principe digna non est, totam noctem dormire* (Hom.) 7. *Enuncians*: ut, *Sapiens sibi fortunam fingit.* [Plaut.]

III. Tractatur ijsdem fere capitibus, quibus Chria; excepto Encomio Auctoris: nam potest Orator de suo sententiam dicere; se ipsum laudare non debet.

IV. Sententiæ, aliæ sunt explicitæ, & apertæ, ut superiores; aliæ tacitæ, & sublatentes, & velut ex obliquo vibratæ: ut, *Timere Rex, dum nimis timetur, incœpit*, quæ hanc involuit Sententiam: *Rex timere debet, se, nimis timeri*. Potest & Imperativo modo per Prostaxin efferri: *Rex si nimium timeris, time*. Si vis igitur apertam sententiam, revoca Hypothesin ad Thesin: e. g. hanc: *Vanus fuit Amicus, qui te deseruit* sic revoca: *Amicitia, quæ desicit, vera non est*: Si vis opertam, vice versa agas.

§. III.

Thesis (h. Quæstio infinita.)

I. Est *Rei alicujus investigandæ Consideratio*. Hanc Cicer. *Propositum*, seu *Consultationem* vocat.

II. Duplex est: *Contemplativa*, seu *Speculativa*; cujus finis est

eſt Cognitio: e. g. *An Terra ſit rotunda*. 2. *Practica*, ſeu *Civilis*; cujus finis eſt Actio: rem enim diſquirit utilem Civitati: e. g. *An Bellum ſit gerendum*.

III. Dividitur etiam in *Simplicem*, & *Compoſitam*. 1. unum quærit: e. g. *An optimum ſit, Rhetoricæ operam dare*. 2. plura comparat: ut, *An meliùs ſit ſtudere Rhetoricæ, an verò Philoſophiæ*.

IV. Differt ab Hypotheſi; quòd Theſis ſit generalis, & infinita: ut, *An praſtet Rhetoricæ operam dare*: Hypotheſis ſit ſingularis, & circumſtantijs limitata: ut, *An praſtet, Fœminas Rhetoricam diſcere*: vel *ante, an poſt Philoſophiam*: vel *in privatis ædibus, an in publicis ſcholis*.

V. Hujus uſus eſt in Oratione: nam cùm Theſis ſit Propoſitio generalis, quæ dicuntur de Genere, valent ad inferendum de ſingulis. Sic ſi ſermo ſit de diſcenda Rhetorica, excurram in laudem *Sapientiæ*; ſi de Otio fugiendo, excurram in vituperationem *Vitij*. Hoc verò eſt Traducere Hypotheſin ad Theſin. Et omnis excellens Orator ſemper, cùm poteſt, Controverſiam a perſonis, & circumſtantijs avocat.

VI. Ejus Diſpoſitio eſt. 1. *Exordium*, prout res poſtulat. 2. *Propoſitionis expoſitio*. 3. *Confirmatio*. 4. *Epilogus*.

VII. Capita Confirmationis. 1. Ab *Honeſto* (quod ſcilicet, detracta omni utilitate, per ſe ipſum eſt expetendum] & complectitur naturam rei, legeſque, ac virtutes cum re coniunctas. 2. Ab *Utili* [quod nempè unicè propter commodum expetitur] continetque Bona Naturæ, ac fortunæ. 3. A *Neceſſario* [h. ſine quo Salus, aut Dignitas ſtare non poteſt], quod comprehendit omnia, quæ conſecutura ſunt ex re facta, vel omiſſa. 4. A *Facili*, vel *Poſſibili* [h. quod rem ſecundùm ſuas circunſtantias facilem factu demonſtrat]. 5. A *Jucundo* (h. quod honeſtam habet vel animi, vel corporis voluptatem).



§. IV.

§. IV.

Narratio (gr. Diegèsis .)

I. EST *Expositio rei gestæ , vel quasi gestæ.* Dixi *Rei gestæ* , respiciendo Historicam : dixi *Quasi gestæ* , respiciendo Poeticam Narrationem. Triplex est autem Narratio .

II. 1. *Historica*, quæ *res verè gestas exponit.* V. p. 1. pa. 29. & p. 1. c. 7. 2. *Poetica ; quæ rem fictam exponit :* quæ quidem res si est omnino ficta , est absolutè Fabula ; si res vera, sed ficto modo exposita , non est fabula , nisi penes modum . 3. *Civilis* , sive *Oratoria* ; *quæ rem exponit* , *de qua est contraversia* ; ut sunt Forenses.

III. Sex in Narratione requiruntur. 1. *Persona* , quæ rem gessit. *Res* , quæ gesta est. 3. *Tempus* , quo. 4. *Locus* , in quo. 5. *Modus* , quo. 6. *Causa* , propter quam gesta est.

IV. Quatuor sunt Narrationis Dotes , *Brevitas* , *Perspicuitas*, *Suavitas* , *Probabilitas* : de quib. p. 1. c. 2. §. 3. pag. 29.

V. *Oratoria* continet Admirationes , Expectationes , seu Suspensiones , Motus animorum , Colloquia personarum : ut dictum est par. 1. Stylus *Poeticæ* floridior sit oportet : *Tragicæ* tamen gravitate , & majestate plena esse debet : *Comicæ* , & *Satyricæ* cum salibus , & mordacitate. Stylus *Historicæ* medius est , ac temperatus.

VI. Dispositio est. 1. Breve *Exordium* , vel a Thesi , vel in laudem Personæ, vel per aliquam sententiam. 2. *Expositio Facti*. 3. *Admonitio in fine :* quæ cujusmodi sit, vide §. sequ. n. 5.

§. V.

Fabula (gr. Mythos .)

I. EST *Sermo falsus veritatem effingens* , ad mores hominum informandos .

II. Triplex est. 1. *Rationalis* ; sive *Parabola* ; cùm homo fingitur aliquid dicens, vel faciens : e. g. Vir quidam ab hoste

vulneratus, a vomica, qua laborabat, per vulnus sanatur. Tum subijcitur Apodosis sivè Clausula [de qua mox] v. g. *Ab inimicis salus interdum venit*. 2. *Moralis*: cum scilicet Brutis humanos mores affingimus: quæ siquidem inter se colloquentes inducimus, dicitur *Apologus*. 3. *Mista* utranque complectens: ut, cùm Homines loquentes cum Belluis, vel rebus inanimis, inducimus; Stylo rebus accommodato.

III. Alia etiam sortitur nomina. Dicitur Fabula *Æsopica* ab Æsopo Phrygio fabularum Scriptore: *Cypria* a Cypro Insula, ubi magnus fabularum usus: *Sybaritica* a Sybaritis Magnæ Græciæ populis fabularum Architectis: *Milesia*, quòd Milesij, a Mileto urbe Asiæ appellati, jocis delectarentur: hinc *Milesius Sermo* pro voluptario dicitur: & *Cilissa*: quod Cilices, Minoris Asiæ populi, mendacijs forent assueti.

IV. Dispositio. 1. *Exordium*, quod continet laudes Auctoris ipsius Fabulæ. 2. *Narratio*; quæ quidem brevis, & jucunda esse debet. 3. *Affabulatio*: de qua nunc.

V. Affabulatio [gr. *Epimythion*] est Admonitio, seu Documentum ad vitam rectè instituendam: quod est Finis ipsius Fabulæ. Quæ quidem præponi etiam potest: sed tunc appellabitur Præfabulatio (gr. *Promythion*)

VI. Potest & breviùs tractari Fabula, simplici Narratione cum Affabulatione.

VII. Ejus usus est ad recreandos Auditorum animos, ad docendum, ad mores instituendos.

In genere Demonstrativo.

§. 6.

Laus (gr. Encomium.)

I. Est *Oratio*, *qua Bona alicuius recenset*. Bona verò alia sunt *Naturæ*, alia *Fortunæ*, alia *supra naturam*, sive *Gratiæ*. Naturæ sunt tum *Corporis*, ut Forma, Robur, Sanitas,

nitas, Habitudo, &c. tum *Animi*, ut Ingenium, Virtus, Scientia, Artes &c. Fortunæ sunt Opes, Nobilitas, Parentes, Educatio, Patria &c: Gratiæ sunt Virtutes Theologicæ, Virtus Miraculorum, Donum Vaticinandi, Donum Linguarum &c.

II. Dispositio. 1. *Exordium* liberum est, vel ab Adiunctis, vel a Facto, Dictove aliquo. 2. *Narratio* per totam orationem diffusa, Bona Personæ recensendo, res gestas, & gloriosum exitum ostendendo. 3. Ostendatur, *Contrarijs carere*, puta labe vitiorum, &c. 4. Cum viris illustribus *comparetur*. 5. *Epilogus*, Personę laudatę existimationem conciliet, amorem virtutis, & imitationem accendat.

III. Stylus ornatior sit oportet. Vide Orationem Panegyricam Cap. 5. §. 9.

EPIMETRON.

Deus laudatur ab Attributis Potentiæ, Sapientiæ, Bonitatis, Providentiæ, Immensitatis, Æternitatis, Majestatis, Justitiæ, Misericordiæ, Pulchritudinis, Gloriæ: & ab Effectis eorum.

Persona quęlibet laudatur a Bonis supradictis, quòdque ijs bene sit usa. Vide Panegyr. c. 5.

Res inanimæ laudantur a Pretio, ab Usu, ab Antiquitate, a Forma, ab Effectibus, & Virtutibus.

Regio, vel *Urbs*, a primis Cultoribus, vel Conditoribus; a Principibus, a Civibus illustribus, a Frequentia populi, a Cœli temperie, a Soli ubertate, amœnitate, situ, fontibus, fluvijs, collibus: a Structura, Edificijs: a Ritibus, Moribus, Artibus, Academijs, &c.

Academia, *Ordo Religiosus*, *Familia*, a Conditoribus, Viris illustribus, Factis egregijs, &c.

Virtus, quòd Bonis corporeis sit prętantior, quòd Ornamentum sit Animi; quòd Bonum constans, æternum, fortunę arbitrio non subiacens, quod Deo grata, Hominibus venerabilis, & admiranda; quòd veram felicitatem, & immortalem gloriam pariat.

Ars, *&* *Scientia* ab Inventione, Usu, atque utilitate

tum privata, tum publica; ab *Honesto*, *Utili*, *Necessario*, *Facili*, *Jucundo*: ut supra explicavimus §. 3. n. 7.

§. VII.

Vituperatio (gr. Mòmos)

I. EST Oratio, *Quæ Mala alicujus recenset*. Mala verò sunt Bonis supradictis opposita.

II. *Dispositio* eadem est, quæ Laudis; sed per oppositionem.

III. *Stylus* mordax, & Satyricus cum Imprecationibus, & Invectivis. De Invectiva vide cap. sequ.

IV. In *Epilogo* motus excitandi ad Vitij detestationem, vel etiam Personę, quę vituperatur e.g. Hęretici, Rebellis &c.

§. VIII.

Ethopœia [h. Morum expressio.]

I. EST *Expressio morum*, *affectuumque alicujus personæ*. Triplex autem est.

II. 1. *Ethopœia* absolutè dicta: quæ notam, veramque Personam inducit: e.g. Quid dicere potuerit D. Franc. Xaver. cùm Christi Cruce suffixi imaginem sibi a Cancro redditam vidit.

III. Hæc rursus triplex est. 1. *Pathetica*, exprimens affectus vehementiores: ut, Quid dixerit Medea filios interfectura. 2. *Ethica* (h. Moralis) quæ solos exprimit mores: ut, Quid diceret avara Mulier aureum pugionem reperiens. 3. *Mista*, quæ & *Mimèsis* (h. Imitatio) exprimens affectus, & mores: ut, Quid dixerit Achilles, Patroclo amico interfecto, pugnare statuens. Mos autem ex Arist. est *significatio propensionis animi* ad aliquid vel diligendum, vel fugiendum.

IV. 2. *Idolopœia*; quæ est *Expressio morum Personæ mortuæ*. Sic Tullius Appium Cæcum jam mortuum adversus Clodium loquentem inducit. Vide *Prosopopœiam* Par. 1. c. 3. §. 5.

V. 3.

V. 3. *Prosopographia*: quæ est *Expressio vultus, oris, habitus, incessus alicuius Personæ*. Sic Cic. Patriam, & Remp. Personarum more loquentes effingit. Vide *Prosopopœiam*. par. 1. &c.

VI. Dispositio tria continet tempora. 1. *Præsens* pro Exordio. 2. *Præteritum*. 3. *Futurum* pro Confirmatione. Ex gr. si vis Famam inducere loquentem de Heroe aliquo, puta de Eugenio a Sabaudia, dicat primò quid nunc agat, quid cogitet, & mediteiur. 2. quid egerit, quotque palmas retulerit. 3. quid Se dignum facturum deinceps polliceatur.

VII. Porrò in Moribus tractandis spectandum. 1. *Decorum* (gr. τὸ πρέπον) in actionibus, & locutionibus: non enim dandi sunt Viro mores Fœminæ, Puero Senis, Servo Regis.
2. *Constantia*, h. ut sibi constent: sic qui semel Iracundus, semper Iram retineat.
3. *Ratio* Regionis, vel Urbis &c. quarum diversi sunt mores.

§. IX.

Comparatio (gr. Analogia.)

I. Est *Oratio conferens aliquid cum alio*: e. g. Florentiam cum Antuerpia, Scipionem cum Alexandro.

II. Duplex est. 1. cùm comparatur Æquale cum Æquali; e. g. Annibal cum Scipione. 2. cùm comparantur Inæqualia; e. g. Adulator cum Amico; Apes cum Republica.

III. Artificium est simile Laudi, ac Vituperationi: h. Exordium, Expositio, & Epilogus.

IV. Non est necesse utranque rem totam uno ictu conferre; sed potest Capiti Caput per modum Paralleli.



§. X.

Descriptio (gr. Catàgraphe.)

I. EST *Oratio fusè colligens, & repraesentans rem aliquam.* Multiplex autem est.

II. 1. *Icon* (h. Imago) e. g. Describatur Pyxis Nautica Cynosuram respiciens: tum traducatur ad Animum Cœlestia respicientem, ut Vitæ Navim rectè gubernet.

III. *Diatypòsis* (h. Effictio) quæ est Expressio corporis Personæ alicujus.

IV. 3. *Hypotypòsis.* De qua dictum est inter Sententiarum Figuras.

V. 4. *Simiòsis* [h. Notatio] Sive Morum alicujus Expressio: sed hæc propriè est Ethopœia.

VI. 5. *Merismus* (h. Distributio) seu Partium omnium distincta, & graphica Enumeratio.

VII. Potest fieri 1. per *Apòphasin* [h. Negationem]: e. g. Describo Ver, recensendo propria Hyemis, quæ jam cesserunt. 2. per *Catàphasin* [h. Affirmationem] recensendo effectus proprios ipsius Veris. 3. per Sensus; recensendo quæ visu, auditu, vel factu, tactuque percipiuntur verno tempore. 4. per Definitiones conglobatas. 5. per partes: e. g. Hominem iratum describens, exprimes Vultum, oculos, vocem, gestus, incessus &c. 6. Ab Adiunctis, seu Circunstantijs: qui est fons uberrimus Descriptionum. Vide in Par. 1. cap. § 10.

VIII. Nota 1. Texenda stylo tenui quidem, sed eodem expolito, & figuris illuminato. 2. Ordinata esse debet, e. g. A capite gradatim ad pedes, &c. 3. Non debet esse nimiùm prolixa. 4. nec nimiùm frequens 5. neque nimis affectata. 6. nec extra rem: ut, si Viridarium nominans, Viridarij continuò subsuas Descriptionem. 7. nec in Oratione graviori ad minuta quæque, aut etiam ridicula descendendum.



In

In genere Judiciali.

§. XI.

Confirmatio [gr. Esticyrôsis.]

I. Est *Proposita rei comprobatio*: Quæ res debet esse nec manifesta, nec incredibilis; sed tantùm probabilis. Dispositio hæc est.

II. 1. *Exordium* ab Encomio Auctoris, qui Dictum protulit. 2. *Expositio fidelis ipsius rei*. 3. *Comprobatio*: quæ facienda 1. a *Manifesto*, probando rem esse manifestam. 2. a *Probabili*, ostendendo esse probabilem. 3. a *Possibili*, seu *Facili*, confirmando, rem facilem factu esse. 4. a *Consentaneo*, quòd scilicet sit conveniens, & consentanea rationi. 5. ab *Honesto*, quòd res ipsa deceat, & gloriosa sit. 6. ab *Utili*, demonstrando ejus utilitatem.

III. Addatur *Epilogus*. Vide par. 1. cap. 2. §. 4.

§. XII.

Confutatio [gr. Anascève.]

I. Est *Proposita rei subversio*, seu Reprehensio, sive Destructio: quæ res non debet esse manifesta, nec incredibilis, ut sunt Fabulæ; sed dubia, & obscura. Dispositio hæc est.

II. 1. *Exordium* a Reprehensione Auctoris, cujus oratio, vel dictum subvertitur. 2. Rei, vel Dicti *Expositio sincera*. 3. *Subversio* ipsa per vias oppositas. 1. ab *Obscuro*, sive *Incerto*; h. Rem non manifestò apparere. 2. ab *Incredibili*. 3. a *Difficili*, sive *Impossibili*. h. Rem fieri non potuisse. 4. a *Dissentaneo*, seu *Repugnante*. 5. ab *Indecoro*, seu *Turpi*. 6. ab *Inutili*.

III. Addatur *Epilogus*. Vide par. 1. c. 2. §. 4.



§. XIII.

§. XIII.

Locus communis (gr. Cinòlochos.)

I. ESt *Oratio, qua Bona, vel Mala alicujus amplificat*; ut præmio, vel pœna afficiantur.

II. Dicitur *Locus communis*; quia omnibus convenit, qui ejusdem rei, vel bonæ, vel malæ, sunt participes: ut, si in Contumacem dicas, ea oratio in omnes Contumaces cadit.

III. *Exordium* vel breve, vel nullum; cùm Locus communis sit rei jam probatæ mera amplificatio.

IV. Capita Confirmationis, sive Amplificationis. 1. *A Contrario*: e. g. in Contumacem, ostendendum, quantum Bonum sit Obedientia, quam ipse violavit. 2. ab *Expositione* rei notæ, more oratorio. 3. a *Comparatione* aliorum improborum, quos iste superavit. 4. a *Sententia*; h. ab ejus mente, qua id fecerit, qua de causa, quid voluerit. 5. a *Digressione conie ćturali*, conjecturam capiendo ex hoc crimine de ceteris actis ejus vitæ. 6. ab *Exclusione Misericordiæ*; nullum siquidem Miserationi locum scelus tantum reliquit.

V. Tum impellendus est Judex ad sententiam adversus illum ferendam. 1. a *Legitimo*: ostendendo, esse secundùm leges, si Misericordia negetur. 2. a *Iusto*: Id scilicet jus postulare, seu Justum esse, pœnam infligere. 3. ab *Utili*; id prodesse Reip. 4. a *Facili*; nullo scilicet negotio ejus furorem comprimi posse. 5. ab *Honesto*, Rationi nihil convenientius, quàm si pœna ab illo exigatur. 6. ab *Eventuro*; ex ejus punitione eventura Reip. Bona omnia; e. g. Scholasticam Disciplinam, vel Civitatis Emendationem, &c.

VII. Differt a Thesi; quia Locus communis est de re jam probata, Thesis verò est rei dubiæ investigatio.

VIII. Stylum poscit acrem, vehementem, & argumentis robustum.

IX. Si rem bonam exaggeramus, cum proportione procedendum; præmiumque expetendum.

§. XIV.

Legislatio [gr. Nomothesia.]

I. Est *Legis latæ vel Criminatio, vel Defensio*. Dispositio ejus hæc est.

II. 1. *Exordium* Legi accommodatum. 2. *Expositio* ipsius legis. 3. Tractatur 1. a *Legitimo*, ostendendo, Legem legitimam esse. 2. a *Iusto*; probando esse justam. 3. ab *Utili*; demonstrando ejus utilitatem. 4. a *Possibili*, seu *Facili*, probando facilitatem.

III. Obiectiones adduntur ad singula: & solvuntur. Addatur Epilogus.

CAPUT II.

Varia Orationum genera.

Et primùm in genere Deliberativo.

PRænota. Caput Artis est, quibuscum agas dignoscere: 1. an cum Principibus, Rebusque pub. apud quos molli brachio utendum: formæ diversæ dominationum spectandæ: an *Monarchìa* (Dominatus unius) an *Aristocratìa* [Optimatum Imperium] an *Democratìa* (Imperium Populi) &c. 2. An cum Nobilibus, quos Honesta, & Gloriosa juvant. 3. An cum Populo, ac Plebe, cujus indoles, & mores varij: nam Divitibus, & Ambitiosis splendida, Voluptuosis jucunda, Avaris utilia proponenda. Distinguendæ etiam ætates, sexus, gradus: nam 1. Adolescentia præfervida movetur Honesto. 2. Juventus intemperans Honesto, & Utili. 3. Senectus timida, & suspiciosa utili magis. 4. Viri in Fide firmandi. 5. Mulieres ad Pietatem, & Amorem Cœlestium inflammandæ. 6. Seculares ad Fidem, Justitiam, Pudicitiam. 7. Eccle-

sia-

ſiaſtici ad Decorum, & Cultum rerum sacrarum. 8. Religioſi ad Contemptum Mundi, & Regularem obſervantiam. 9. Patres fam. ad Rectam Familiæ inſtitutionem. 10. Filij ad Obedientiam, & Obſequium. 11. Famuli ad Fidelitatem. 12. Miniſtri ad Juſtitiam. Diſtinguendæ denique Nationes, earumque diverſi mores, & indoles: quas ap. Barchlaium in *Icone Animorum* cap. 3. &c. videbis. Vitandi eſt Oſtentatio, Aſſentatio, & Suſpicio Artificij, Imprudentiæ, Inverecundiæ; præſertim in Senatu (ubi ſine magno apparatu dicendum) nam iſta minuunt fidem Dicentis.

§. I.

Oratio Suaſoria [gr. Paranetica.]

I. EST, *quæ ad aliquid deliberandum ſuadet*.

II. Exordium vel a Re ipſa, quæ in deliberationem cadit. vel a Perſonæ commendatione, ad quam ſpectat Deliberatio; vel a Perſona, quæ oppoſitum ſuadet; vel ab aliqua gravi ſententia.

III. *Propoſitio*. Rem deliberandam omnino eſſe.

IV. *Confirmatio*. 1. quia *Honeſta*, ſeu *Glorioſa*. 2. quia *Utilis*. 3. quia *Neceſſaria*. 4. quia *Facilis*. 5. quia *Iucunda*. Tractentur hæc autem a Cauſis, Effectibus, Conſequentibus, Similitudine, Comparatione; maximè verò ab Exemplis; ſed potiſſimùm Argumentis divinis; nam mortales omnes Religione movemur.

V. *Epilogus* ſpem oſtendat, eum qui ſuadetur, propter optimam indolem, morem geſſurum.

§. II.

Oratio Diſſuaſoria [gr. Parapithica.]

I. EST. *Quæ ab aliquo deliberando diſſuadet*.

II. *Exordium* vel ab Amore erga Patriam, vel Perſonam, quicum agis; vel ab ejusdem Commendatione, quæ rem

ſuæ

suæ dignitati minùs convenientem nunquam sit susceptura; vel a gravi sententia.

III. *Propositio*. Rem omnino fugiendam esse.

IV. *Confirmatio*. 1. ab *Indecoro*, seu *Turpi*. 2. ab *Inutili*. 3. a *Pernicioso*. 4. ab *Impossibili*, seu *Difficili*. 5. ab *Iniucundo*. Igitur ostendenda Rei turpitudo, & incommoda, quæ inde ad Corpus, ad animum, ad domum, ad Patriam redundarent.

V. *Epilogus*, spem ostendat, nunquam a tali Persona rem tam indignam effectum iri.

VI. Reliqua cum Suasione conveniunt.

§. III.

Oratio Hortatoria [gr. Protreptica.]

I. Est, *Qua ad rem jam deliberatam alacriter prosequendam instimulat*.


II. *Exordium*. A circunstantijs rerum, locorum, personarum, &c. vel ab ijsdem capitibus, quibus Oratio suasoria.

III. *Propositio*. Rem omnino prosequendam esse.

IV. *Confirmatio*. 1. ab *Honesto* laudis, & gloriæ, quæ inde colligitur. 2. ab *Utili*, quod inde provenit. 3. a *Facilitate* rei conficiendæ. 4. a *Necessario*, ob pericula, quæ secus immineant. 5. a *Jucundo*. Exemplis agat, & ad æmulationem instimulet.

V. *Epilogus* preces, & obsecrationes addat: per *Pròtropen* [h. Adhortationis Figuram] extimulet: spem ostendat, Virtutem ejus, quem hortaris, laudando; & amorem, ac desiderium rei, ad quam hortamur.

VI. Differt a Suasione; quòd hæc rationibus agit, & docet; Hortatio verò magis impulsu, & calore inflammat: illa est de re deliberanda, hæc de re jam deliberata; illa ad Intellectum magis, hæc verò ad Affectum pertinet.



§. IV.

§. IV.

Oratio Dehortatoria (gr. Apotreptica.)

I. EST, *Quæ a re deliberata deterret.*
II. *Exordium* ferè idem ac in prædictis orationibus.
III. *Propositio*, Rem prosequendam non esse.
IV. *Confirmatio*. 1. a *Contrario*, declarando, contrariam esse Omnium sententiam. 2. ab *Indecoro*. 3. ab *Inutili*. 4. à *Difficili*. 5. a *Pernicioso*.
V. *Epilogus* ducendus ab interposita Auctoritate ipsius Dehortantis.

§. V.

Oratio Commonitoria [gr. Parangelmatica.]

I. EST, *Quæ aliquem ad meliorem frugem impellit.*
II. *Exordium* plenum sit amoris, & miserationis.
III. *Propositio* rem clarè exponat, de qua commonet.
IV. *Confirmatio*. 1. a *Turpi*, *Inutili*, *Difficili*, *Pernicioso*: deinde ab *Honesto*, *Utili*, *Facili*, *Necessario*.
V. *Epilogus* Adhortationem adhibeat.
VI. Nota. Si Commonitio sit cum Obiurgatione jungenda, invehatur Orator in Vitium potiùs, quàm in Personam.

§. VI.

Oratio Commendatoria (gr. Systatica.)

I. EST, *Qua Orator aliquem alicuius patrocinio commendat.*
II. *Exordium* a Thesi: quàm sint protegendi Viri, vel Juvenes virtute, vel bona indole præditi, ut præsidia ad omnem Laudem obtineant. *Hypothesis* verecundè Causam ipsam Commendationis exponat, & Personam, quæ commendatur.
III. *Propositio*. Personam tali esse Patrocinio dignissimam: vel

vel hoc publico Bono expedire.

IV. *Confirmatio*, ab Adiunctis, Personæ commendatæ laudes, & merita recensendo: tum ostendendo ejusdem inopiam, vel necessitatem; vel commoda, quæ inde ad alios quoque redundent. Adijce Consanguinitatem, Amicitiam, vel Beneficia accepta si qua sint.

V. *Epilogus* totus sit in obsecrationibus, ut Persona juvetur; & grati, ac memoris animi officium poliiceatur.

VI. Nota. Si se ipsum Orator alicujus Patrocinio commendet, non debet proprias, nisi summa cum modestiâ, laudes attingere; sed suam maximè inopiam, & publicum Commodum demonstrare.

§. VII.

Oratio Postulatoria (gr. Ætetica.)

I. EST, *Qua Orator vel pro se, vel pro aliis Beneficium ab aliquo postulat*. Si pro alijs, dicitur *Enstatica* (h. Intercessio sive Intercedens Oratio)

II. *Exordium*. Concilianda Auditorum, vel Principis benevolentia, Beneficentiam eorundem, ac Merita commemorando in Patriam, in Cives, &c.

III. *Propositio*, Tale Beneficium esse conveniens, tum eorum Liberalitati, tum Personæ, pro qua postulatur.

IV. *Confirmatio*, ab *Honesto*, vel *Justo*, ab *Utili*, a *Facili*; sed præcipuè a *Gloria* apud populos, & a Laude, quæ ad Deum redundat.

V. *Epilogus*, futurum sese, aliosque Beneficij memores pollicebitur: exoraturumque a Superis compensationem, & gratiam.

VI. *Deprecatoriam* Vide §. 26. n. 8.

§. VIII.

Oratio Consolatoria (gr. Paramythetica.)

I. EST, *Qua aliquem calamitate oppressum solamur*.

II. *Exordium* vel a Laude Fortitudinis in ferenda adversa

fortuna, vel a Sapientia, Virtute, Moderatione Personæ calamitate oppressæ; vel ab Affinitate, Amicitia, Officio, &c. Si gravior sit Calamitas, ostendat, se parum idoneum, qui alios soletur; cùm & ipse, & omnes boni consolatione indigeant; se tamen qualecunque solatium allaturum.

III. *Propositio*, Æquo animo sustinendam Calamitatem.

IV. *Confirmatio*, 1. ab *Honesto*, ostendendo, quàm sit honestum, Divinæ se Voluntati permittere; quantumque sibi colligat Gloriæ a Constantia in tali Adversitate. 2. ab *Utili*; quòd videlicet utilis sit ad morum informationem: tum Præmium proponat in æterna vita Patientiæ a Deo promissum: contra ab Inutilitate Impatientiæ. 3. a *Necessario* in hac vitæ humanæ conditione tot malis obnoxiæ. 4. a *Possibili*, Divina scilicet cum ope. Exempla Heroum, Sanctorumque Virorum, præcipuè Christi Domini, subiiciat. Sententiis probatorum Auctorum, Sacrorumque Codicum rem corroboret.

V. *Epilogus* Animum excitet ad Heroicam Constantiam, & Fortitudinem.

VI. Nota 1. Si Orator ætate, vel dignitate *minor* fuerit, modestè, ac leniter agat: amorem suum testetur: Sapientum dictis potiùs, quàm suis ostendat se loqui.

2. Si fuerit *æqualis*, pro jure amicitiæ se id agere, ac loqui dicat.

3. Si *major*, liberiùs poterit agere, & increpationem quoque, sicubi opus, sed amice, adhibere: nempe ubi noverit, Personam calamitates minùs humaniter ferre.

In genere Demonstrativo.

§. *IX.*

Oratio Panegyrica (h. Laudativa.)

I. Est, *Qua Orator laudes alicujus recenset.*

II. *Exordium*, vel a laudandi difficultate summos Heroes, qui tot tantisque meritis populos sibi obstrinxere; vel recen-

censendi eorum laudes; quemadmodum difficile est, Cœli stellas dinumerare, &c.

III. *Propositio*, Personam, quæ laudatur, esse in aliquo, vel in omni laudum genere absolutissimam. Curandum tamen ut sit maximè propria, & veluti Character ipsius.

IV. *Confirmatio*. 1. A Bonis *extrinsecis* Patriæ, Generis, Educationis, Fortunarum, Affinitatum, Honorum, Munerum, Civium Benevolentiæ, Famæ, &c. quæ sit omnia ritè promeritus; quibusque omnibus rectè, ac sapienter usus. 2. ab *Intrinsecis* Indolis, Ingenij, Virtutum, Artium, Scientiæ, Usus, Rerum gestarum pro Patria, pro Repub., pro Ecclesia; præsertim per comparationem aliorum Heroum. 3. a Donis Divinis, Vaticinijs, Miraculis, &c.

Vel tria tempora distinguendo. 1. quod *vitam antecessit*: in quo spectantur Signa, Vaticinia, Auguria, Prodigia &c. quæ futuram Personæ claritatem indicaverint: item Natio, Patria, Genus, &c. 2. *Vita ipsius cursum*: in quo spectantur Indoles, Educatio, Virtutes acquisitæ, Facta illustria, Honores, Dignitates, Mors præclara. 3. *quod mortem est subsecutum*: in quo spectantur Luctus, Pompa funebris, Miracula, Monumenta, Existimatio, Fama &c. Vide in Progymnasm. tit. *Laus*.

V. *Epilogus*. Gratulandum Patriæ, Familiæ, Accademiæ, &c. quibus Vir tantus obtigerit.

§. X.

Oratio Genethliaca [h. Natalitia.]

I. Est, *Quæ habetur in Ortu Principis, vel cum anniversarius Natalis ejusdem, aut alicujus Divi recurrit*.

II. *Exordium*, lætitiæ, & gratulationis plenum, vel a circumstantijs loci, temporis, personarum, &c. vel a votis publicis: vel ab ijs, quæ Nativitatem præcesserunt: vel ab aliqua Similitudine: e.g. Quanquam Mortalium Exitus magis spectandus sit, quàm Ingressus, posse nos tamen ab hoc Die Natalitio, quemadmodum ab ortu Solis, totum Vitæ Diem augurari.

III. *Propositio*, Magnam futuram Sobolem; ex eaque Felicitatem expectandam: vel, Ipsum Anniversarium Diem fausta nobis omnia polliceri.

IV. *Confirmatio*, ab Adiunctis. 1. *Temporis* præcedentis, ac præsentis, an Calamitosi, cui finem sit positurus, an felicis, quod sit servaturus; an Belli, an Pacis. &c. 2. *Diei* ipsius, an sereni, an nubili, festi, an nefasti &c. (olim Kalendæ Natalibus felices existimabantur: item Dies IX. Mensis Soli dicatus, XV. Minervæ, &c. Consulantur veteres Fasti) 3. *Loci*, nempe Urbis, Domus, Villæ, extra Patriam, &c. 4. *Familiæ*, ac Stemmatis. 5. *Parentum*, Avorum; eorumque virtutum, gestorum, dignitatum, honorum, meritorum, &c. 6. *Nominis* Soboli impositi. 7. *Prodigiorum* si qua acciderunt, &c. è quibus omnibus bonum omen sumendum.

V. *Epilogus* Gratulationes, Auguria, spes, & vota contineat.

§. XI.

Oratio Lustrica [gr. Agnistica.]

I. EST, *Quæ habetur, cùm Infanti Nomen imponitur*.

II. *Exordium* a circunstantiis Temporis, Loci, Personæ, &c. vel a Ritu antiquo imponendi Nomina.

III. *Propositio*, Rite tale Nomen impositum esse.

IV. *Confirmatio* 1. a Commendatione ipsius Nominis, cujus *Etymon*, h. vera origo vocabuli, ac significatio explicanda. 2. a Persona, a qua, vel cui datum est. 3. a Modo, quo datum est. Frequentes fiant Comparationes.

V. *Epilogus*, gratulationes, faustas preces, & vota contineat.

§. XII.

Oratio Epithalamica [gr. Nuptialis.]

I. EST, *Quæ habetur occasione Nuptiarum*.

II. *Exordium* a laudabili Nuptiarum a Deo institutarum ho-

honeftate, ad bonam prolis educationem, vel quòd inde fequatur Familiarum decus, Urbium fplendor, &c. vel a Raritate Nuptiarum undequaque felicium. Afpergi poteft exordium, & oratio, hiftoria, & fabulis, cum mica falis.

III. *Propofitio*. Has Nuptias omnia nobis felicia promittere.

IV. *Confirmatio*, A laudibus utriufque Conjugis, & Familiæ, ex norma Orationis Panegyricæ. A Patriæ lætitia ex tali Connubio. A celebritate, & apparatu nuptiali. Veterum ritus commemorentur; quibus Coronæ compingebantur ex Cafia, Myrto, Lauro, Nardo, Rofa, Lilio, Croco, &c. A Sponforum muneribus, &c.

V. *Epilogus*, Gratulationes, Spem fobolis, mutuæque Coniugum Concordię contineat: faufta omnia apprecetur.

§. *XIII.*

Oratio Epinicia [h. pro Victoria.]

I. EST, *Qua habetur parta aliqua infigni Victoria*.

II. *Exordium*, maximè fplendidum, ornatum, lætitiæ plenum, & potiùs abruptum, quàm legitimum, ac lene: A publica lætitia, in qua tacere, neque gratulari, fit nefas.

III. *Propofitio*, Maximam ex ea Victoria derivatam effe felicitatem.

IV. *Confirmatio* 1. ob fortunam in melius converfam. 2. ob fecuritatem partam, timore abacto, Patria liberata. Oftendatur difficultas rei feliciter geftæ: Virtus Ducis, Præfectorum, & Militum amplificetur: res uti gefta eft, oratorio ftylo narretur, cum Amplificatione, & Hypotypofi. Fiat Comparatio aliorum Præliorum, Victoriarum, Ducum, Militum, cum Elogijs; ut habet Cic. de Legione Martia (Vide hic cap. 6. §. 2.) & Collatio præcedentis cum præfenti fortuna. Enumerentur commoda hujus Victoriæ.

V. *Epilogus* gratulationes, gratiarum actiones, & vota contineat, atque auguria felicioris in dies fortunæ.

§. XIV.

Oratio Euchariſtica (h. in Gratiarum actione)

I. EST, *Quæ habetur occaſione maximi Beneficij ab inſigni Benefactore accepti.*

II. *Exordium*, aperto quodam candidoque dicendi genere lętitiam, & grati animi ſignificationem foras erumpere geſtientem depromens; A difficultate gratias agendi, referendique pares, ubi ſumma ſunt Beneficia. Vitetur tamen artificioſæ ſimulationis ſuſpicio.

II. *Propoſitio*, Summum hoc Beneficium extitiſſe.

IV. *Confirmatio* ab Adiunctis, & comparatione; a Perſona, quæ Beneficium contulit; a Perſona, cui collatum eſt; a Re ipſa, a Modo, quo collata eſt.

V. *Epilogus*, ipſam Gratiarum actionem contineat, & Grati, memoriſque animi promiſſionem, precationes & vota; uberemque viro optimè merito mercedem a Superis exorabit.

§. XV.

Oratio Auſpicalis, h. pro in auguratione. (gr. Iſiterica)

I. EST, *Quæ habetur in Electione ad Dignitatem*, ſive in Aſſumptione ad Imperium, in Creatione, vel Coronatione Pontificis, Regis, Imperatoris &c.

II. *Exordium* a communi lętitia, quæ non patiatur inter anguſtos fines pectoris contineri: vel a ſuſpenſione animi, utri potiùs ſit gratulandum, an Electo ad Dignitatem, an ipſimet Dignitati: ab Augurijs, a Prodigijs, a Loco, a Cæremonijs, a Pompæ ſplendore, &c.

III. *Propoſitio*, vel Meritò omnes gaudere, vel Utrunque pari gratulatione dignum eſſe.

IV. *Confirmatio.* 1. Dignitatis amplitudo, quaſi Imago, & Character Divinæ Majeſtatis exaggeretur. 2. Modus Ele-

ctionis, Comitia, Suffragia, Ritus, Ornatus, & Insignia Dignitatis describantur. 3. Auguria, Prodigia, si qua intervenerint, recenseantur. 4. Personæ merita, Nobilitas, Virtutes, Scientia, Experientia, Animi amplitudo, Mentis solertia, recolantur. 5. Conferatur Electus, & Electio cum alijs superioris memoriæ, puta Davidis, Salomonis &c.

V. *Epilogus*, similis illi, quo utitur Cic. pro M. Marc. *Quare gaude tuo isto tam excellenti Bono* &c. Totus igitur in gratulatione versetur.

EPIMETRON.

Nota *Isiteria* Festum erat Athenis, cùm Magistratus inibantur: & erat Anni Principium.

VI. Si Oratio sit super ipsa Electione facienda, mistam malim ex Epidictica, & Parænetica. *Exordium* grave, ac verecundum ab Adiunctis Rei, quæ agenda est, & Personarum, ad quas fit sermo, & inter quas res agenda. Negotij gravitatem exponat, simul difficultatem dignioris eligendi, ubi omnes dignissimi sint. *Propositio.* Necessariam esse electionem Optimi. *Confirmatio.* Id reposcere rerum ordinem universum, ut in omni genere Præses sit optimus: nam a Principe, veluti corpus a capite, Bonum publicum pendet: idque patet inductione Familiæ, Militiæ, Reip., Cœlorum denique, quorum motus a Primo Mobili temperantur. Igitur & hic Ordo deposcet; qui instar Magni Corporis, Familiæ, Militiæ, Reipub. Cœlique ipsius est: hìc verò ejus decora recenseantur, præsertim quòd optimos Presides semper habuerit; quam laudem retinendam esse, nec desciscendum, dicetur. Addatur, id reposcere Personam ipsam, quæ dignor visa fuerit, ejusque merita, ac dotes, ut reliquis præferatur. (Atque hic dotes ad tantum munus requisitæ interseri possunt) hanc verò mentem esse ipsius Ordinis, qui talem finxerit Virùm, cujus propterea virtute, tanquam suo fructu uti, ac frui jure suo petat: hanc & mentem videri Divinæ Munificentiæ: non enim frustra D. O. M. tantis illum laudibus cumulavit: quæ ideò Character quidam sunt, ac signum divinæ voluntatis. Tum de ipsa Eligendi ratione loquendum, quæ servatis

tis legibus, & consuetutinibus facienda est, absque vitiosa aliqua propensione; ac spectata unicè publica utilitate. *Epilogus* totus fit in adhortando, spemque ostendendo, spectatis virtutibus Personarum, legitimæ Electionis, ac Felicitatis inde ad universum Ordinem redundaturæ; opem denique ritè a superis implorando.

§. XVI.

Oratio Isodica [h. in Adventu Viri principis.]

I. Est, *Quæ habetur in illustris Personæ adventu*: vel cùm Magistratus, Rex, Pontifex &c. recipiuntur. Brevitatem autem hæc Oratio amat, stylumque concisum, ac sententiosum.

II. *Exordium*, ab expectatione, & votis Populi, Academiæ, &c. & communi lætitia.

III. *Propositio*, Gratissimum ejus Adventum accidere.

IV. *Confirmatio*, Merita, ac Laudes Personæ recenseat: illustria symbola, & similitudines, & Comparationes adhibeat. e. g. Cimmeriorum Soli nascenti faustis acclamationibus plaudentium. Describatur apparatus; fiant Apostrophæ ad Cives, Domos, Templa; & interpretationes de ijsdem præ gaudio gestientibus.

V. *Epilogus* Animos excitet ad Principem officijs omnibus prosequendum. Ipsi Principi Animos, fortunasque omnium devoveat. Ipsum oret, ut omnes suam in fidem recipiat.

VI. Si verò Persona ipsa in Dignitate constituta, e. g. Curiæ Præses, Regius Patronus, Generalis, Prætor, Cancellarius, &c. verba faciat; quisque eo dicendi genere utatur, quod suæ Dignitati, ac Personæ, quam agit, conveniat. Nam Cancellarius Regiam Auctoritatem, quæ saluti, & quieti Regni consulat, tueri debet: & sic de reliquis.

EPIMETRON.

1. Nota. *Isodium* est Xenium adventitium datum Magistratui Urbem ingredienti; vulgò *Honorarium*. Oratio *Prosagoreutica* (h. Salutatoria) huc potest refer-

ferri: tametsi spectare videtur magis ad Figuram Deprecatoriam.

§. XVII.

Oratio pro discessu (gr. Propemptica.)

I. EST, *Quæ habetur in Personæ illustris discessu*.

II. *Exordium* ab Incommodis Patriæ ex Virorum illustrium abitu: vel a Brevitate humanæ Felicitatis, quæ nos diu frui Bonis non patitur.

III. *Propositio*, Apprecandum faustum iter, maturumque reditum: vel Tristari maximè Patriam ex ejus Absentia, & sola Reditus spe recreari.

IV. *Confirmatio*, Id efficere ejus Merita, ac Beneficia in omnes collata; tum Incommoda, quæ ex ejus Absentia derivantur.

V. *Epilogus*, spem excitet id eventurum. A superis fausta hæc omnia imploret.

§. XVIII.

Oratio ipsius Discedentis [gr. Apobaterica.]

I. EST, *Quæ habetur ab ipso Oratore discessuro*.

II. *Exordium* a Thesi: quantus sit dolor in digressu, & separatione Capitum carissimorum puta Civium, Amicorum, Contubernalium, Propinquorum, &c. *Hypothesis*; præsertim verò talem Patriam, Contubernium, Academiam relinquendo.

III. *Propositio*, summum esse dolorem Oratoris in tali digressu.

IV. *Confirmatio*. Ab ipsius Patriæ, Contubernij, Academiæ laudibus, præcipuè verò a Beneficijs in ipsum Oratorem collatis.

V. *Epilogus*. Licet corpore sit absfuturus, animo tamen memori nunquam se absfore profiteatur: Absentia potiùs desiderium magis magisque augendum. Oret denique, ut omnes sui pariter memores esse velint.

§. XIX.

§. XIX.

Oratio pro Reditu [gr. Epibaterica.]

I. EST, *Quæ habetur in Reditu illustris Personæ;* vel etiam ipsius Oratoris.

II. *Exordium* a significatione publici Gaudij, vel ipsius met Oratoris: ab Amore Patriæ, qui dulcissimus est; & ab Jucunditate Cives suos, Laresque patrios revisendi.

III. *Propositio*. Hunc omnibus, vel sibi, diem jucundissimum esse: & vel Patriam, vel ipsum sibi quodammodo redditum videri.

IV. *Confirmatio*. A laudibus Personæ reversæ; vel Patriæ, ac Civium, si Orator ipse reversus est: Eorumque beneficia recolantur.

V. *Epilogus* totus in significatione gaudij, vel gratulationis versetur; ac votis, & spe diuturnæ moræ, ac vitæ.

§. XX.

Oratio pro Salute recuperata [gr. Soteriaca; sive in plur. Soteria.]

I. EST, *Quæ habetur pro salute Principis recuperata*. Hæc autem Oratio mista est ex Eucharistica, & Gratulatoria; de qua infra.

II *Exordium* a Communi lætitia; ut in Superioribus.

III. *Propositio*, Maximum esse hoc Beneficium: meritò omnes gaudere.

IV. *Confirmatio*, ab *Adiunctis*. Laudetur Persona; recenseantur Commoda in Patriam ex ejus salute, ac sospitate derivantia. Describatur Morbus, Mortis periculum; tum Virtus, & Constantia ipsius Principis.

V. *Epilogus* ipsas gratiarum actiones, gratulationes, vota, preces diuturnæ salutis, atque incolumitatis contineat.

§. XXI.

Oratio Gratulatoria (gr. Syncharmatica.)

I. EST, *Quæ habetur occasione honoris, vel Dignitatis a quopiam adepta.*

II. *Exordium* a propria, & communi lætitia.

III. *Propositio*, Jure illi ob ejus dotes, ac Merita talem honorem obtigisse: vel Jure ipsi gratulandum.

IV. *Confirmatio.* Ab Enumeratione virtutum, ac laudum; tum ab Amplificatione talis Honoris.

V. *Epilogus* totus in Gratulatione versetur, & votis, apprecationibus &c.

EPIMETRON.

Nota, Præmium quod datur Nuncianti faustum eventum, seu publicam lætitiam, dicitur *Syncharion*: plur. *Syncharia*.

§. XXII.

Oratio Funebris (gr. Epicedia.)

I. EST *Quæ habetur in Funere illustris Personæ.*

II. *Exordium*, doloris plenum, a Veterum consuetudine [nam originem videtur traxisse ab orationibus quotannis habitis ad Mausoli sepulchrnm jussu Artemisiæ Reginæ ejus coniugis: ad cujus imitationem postea recitabantur ab Atheniensibus in eorum laudem, qui pro Patria fortiter ceciderunt; cujusmodi Oratio Periclis apud Thucydidem; quarum inventor apud Græcos Solon; apud Romanos Valerius Poblicola, qui hujusmodi orationem habuit super Bruto Collega in pugna adversus Tarquinios cæso: qui mos apud Romanos invaluit; deinde ad ceteras gentes emanavit.] vel a præsentis luctus significationibus, nempe squalore publico, Funeris pompa, Cœnotaphij mole, lugubri cantu, sepulchralibus facibus, Defuncti vultu decolorato; vel a diversis Gentium ritibus; vel a rationibus lenien-

leniendi doloris: vel ab aliquo ſymbolo, &c. Poteſt & ex abrupto duci per Exclamationem, Apoſtrophen, Epiphonema: vel a Sententia aliqua, vel Apophthegmate de humanæ vitæ Caducitate &c.

III. *Propoſitio* ſpectet Dolorem excitandum, ſed ſolatio temperatum; eò quòd Defunctus in ſuorum pręclarè geſtorum monumentis ſuperſtes ſit, & immortalis.

IV. *Confirmatio*, A Defuncti virtutibus, rebus egregiè factis, meritis in Patriam, ac ſuos Cives; a Splendore Generis, Principum benevolentia, alijſque capitibus, quæ in oratione Panegyrica dicta ſunt. Proponatur etiam ut Exemplar Poſteris imitandum.

V. *Epilogus*, Familiam conſoletur, Patriamque in ſolitudine relictam, ob triſtiſſimum tanti Viri deſiderium. Æternam felicitatem apud ſuperos apprecetur; memoriam verò apud Mortales immortalem polliceatur.

VI. Breviter. Tria continet hæc oratio, *Laudem* Mortui, *Conſolationem* Patriæ, *Paraneſin* ad ſuperſtites.

§. XXIII.

Oratio in Inſtauratione Studiorum, (gr. Anaſcevàtica.)

I. ESt, *Quæ habetur, cùm Studia incboantur, vel Ludi Scholaſtici aperiuntur.*

II. *Exordium* ad novam admirabilemque Propoſitionem, ſeu Paradoxum, gravitèr, eruditè, ac ſententiosè diſponat; vel per Antitheſin, Synœceòſin, Antimetabolen efferendam.

III. *Propoſitio*, e. g. 1. *Magnum ad Sapientiam incitamentum eſſe ipſam Difficultatem Sapientiæ.* 2. *In ſtadio ſapientiæ lentè currendum: vel Tardè ſapere qui feſtinat.* 3. *In Sapientiæ Curſu omnibus quidem Ingenijs, ſed optimis maximè, Ducem ſequendum.* 4. *Nullum ſine Poeſi Oratorem.* 5. *Sapientem Mundo creatum, Mundum Sapienti.* 6. *Eximium in Literis virum eſſe neminem niſi in uno; eximium verò in uno eſſe neminem, quia*

at-

attingat omnia. 7. *Literas Ornamentum esse in secundis rebus, in adversis Præsidium*. 8. Si Propositio desumatur à Re insigni propria Civitatis, vel a recenti eventu, gratior accidet Auditoribus.

IV. *Confirmatio* ex fontibus Rhetoricæ universis 1. Par. explicatis. Inserantur laudes Civitatis, *vel Academiæ* &c.

V. *Epilogus* ex Præceptis Par. 1. traditis c. 2. §. 5.

VI. Potest etiam tractari per alia Genera Causarum: per Deliberativum, hortando ad studium Literarum; per Judiciale, obiurgando Desides, Osores Literarum, Criticos, Adulatores, &c.

VII. *Prælectiones* solennes, quæ habentur cùm Doctor Cathedram primò ascendit, sic potes disponere.

1. *Exordium* a Circunstantijs Personarum, quæ Consessum coronant, vel Principis, qui Cathedrę munus impertijt, vel Oratoris ipsius tum primò, vel etiam quotannis, apud tales Viros dicentis.
2. *Propositio*, ostendat Excellentiam, Utilitatem, Necessitatem Facultatis illius, quam est explicaturus.
3. *Confirmatio* 1. a Definitione ipsius Facultatis. 2. ab Explicatione Decorum, & Effectuum enumeratione. 3. ab Existimatione communi &c.
4. *Epilogus* studiosam Juventutem ad ejusdem adeptionem hortetur.

VIII. *Prolegomena*, seu Præfationes Academicas sic licebit disponere.

1. *Exordium* vel a Thesi, vel ab Eruditione aliqua, vel similitudine, vel ab aliqua sententia, vel Apophthegmate.
2. *Propositio* ipsa sit Argumenti tractandi Expositio.
3. *Confirmatio*, Ostendat, quàm sit conveniens Materies illa, quæ pertractanda.
4. *Epilogus*, Auditores precetur, ut perhumaniter ea, quæ tractanda sint, accipiant.

EPIMETRON.

1. *Declamationes* [quo nomine olim Umbratiles exercitationes significatæ, quibus dicendi ars intra privatos parietes condiscebatur; nunc verò Opera literaria, e.g. Poematia, Idillia, Eclogæ, Elegiæ, Sa-

Satyræ, Oratiunculæ, &c. è ſuggeſtu aliquo habitæ vulgò *Recitamenta* ſignificantur] haud parvi faciendæ, nec infrequenter habendæ, præſertim ab Rhetoricis proprio ſæpe marte elaboratæ: mirum enim quantum conferunt tum ad vocem geſtumque moderandum, tum ad memoriam excolendam, tum ad optimam ſcribendi normam, tum ad ſtylum conformandum, tum denique ad magnum eruditionis cenſum comparandum.

2. Sectanda in earundem Argumentis, ſaltem quod ad modum pertinet, novitas; quæ ingenioſa aliqua ſpecie delectet: ita ut ipſæ, non *cramben*, ut aiunt, *recoctam*, ſed, quod olim de Africa jactabatur, *Semper aliquid novi ferant*. Sintque, quoad ejus fieri poteſt, propria rerum, & circunſtantiarum.

3. Vitanda in eiſdem *Prolixitas*; ita ut horæ ſpatium vel non attingant, vel non excedant; in Argumentis gravioribus *Levitas*, & *Humilitas*; in hilarioribus *Scurrilitas*; in Satyricis Perſonarum, præſertim Seniorum, ac Principum, *Offenſio*; in omnibus denique *Indecorum*. Occurres autem tædio Auditorum ſcriptionum Varietate, & Dialogiſmis.

4. Argumenta Academica habeant partiũ unitatem; ſintque veluti Corpus, cujus Membra aptè inter ſe cohæreant, ſibique reſpondeant.

§. XXIV.

Oratio pro Laurea Doctorali. [gr. Daphnitica.]

I. EST, *Quæ habetur, cum quis Doctoratus Lauream conſequitur.*

II. *Exordium*, a laudabili veterum Coronarum inſtitutione, Civicæ, Muralis, Obſidionalis, Caſtrenſis, Navalis, Ovalis, Triumphalis, &c. vel ab antiqua Conſuetudine coronan-

nandi Literatos, Poetas, Doctores &c. vel ab Adiunctis, &c.

III. *Propositio*, Inter hos meritò referendum, vel præcipuo reponendum in loco præsentem Laureatum.

IV. *Confirmatio*. Laudes Doctrinæ, ceterarumque Virtutum Laureati recenseantur. Extendi potest Laudatio ad Patriam, Familiam, Stemmata, Educationem &c.

V. *Epilogus* gratuletur, hortetur, auguretur, appreceturque fausta omnia.

§. XXV.

Oratio Problematica (h. Perquirens.)

I. EST; *Quæ habetur, cùm inter duo controversa disquiritur Veritas*.

II. Conflatur ex Confirmatione, & Confutatione. Quare ejus Dispositio ex utraque petenda. Vide utranque par. 2. c. 1. §. 11. & 12.

§. XXVI.

Oratio Paranymphæa (h. in Dedicatione Literaria.)

I. EST, *Quæ habetur, cum quis Libros, aut Theses dedicat*: vel *cùm Doctor primùm in Curiam* admittitur.

II. Dedicatio &c. pertinet ad Epistolas, de quibus infra. Cùm verò quis admittitur &c. Dispositio est ferè eadem quæ Orationis Daphniticæ. 1. *Exordium* a Veterum moribus, e. g. Gladiatorum, Militum, Flaminum &c. 2. *Propositio*, Dignissimum esse, qui admittatur. 3. *Confirmatio* laudes contexat, Doctoris, Scientiæ, Curiæ. 4. *Epilogus*; Commendatio, et Sacramentum, seu Fidei Professio orationem absolvat.

§. XXVII.

§. XXVII.

Oratio Vituperatoria (gr. Momeotica.) al. *Satyrica*.

I. **E**St, *Quæ mala alicujus recenset*. Vide hic cap. 1. §. 7. & sequentes Orat. in Genere Judiciali.

In Genere Judiciali.

§. XXVIII.

Oratio Accusatoria [gr. Categorica.]

I. **E**St, *Quæ habetur in Criminosos*, *eorumque Delicta*.
II. *Exordium* a Calamitate temporis, & Corruptela morum, a criminum gravitate, a necessitate puniendi propter publicum Bonum, a circunstantijs loci, personarum, &c.
III. *Propositio*. Tale Delictum maximum esse, & puniendum.
IV. *Narratio* Facti planior, sed & robustior, quàm ad pompam.
V. *Confirmatio*, vehementer Crimen exaggeret, tabulas proferat, testes indicet, circunstantias perpendat.
VI. *Epilogus* ad iram, & vindictam Judices incitet.

§. XXIX.

Oratio Defensoria (gr. Synagorica.)

I. **E**St, *Quæ defendit Reos*.
Exordium a Dignitate, meritisque Personæ, quæ defenditur; vel a Facti Confessione, & excusatione intentionis; a malevolentia Accusatoris, a Clementia Judicis.

III. Pro-

III. *Propositio*, Delictum vel nullùm esse, vel leve, & venia dignum.

IV. *Narratio* Rem ita exponat secundùm circumstantias, ut omnem ejus invidiam minuat, vel amoliatur.

V. *Confutatio* urgeat præcipua accusationis capita; quibus eversis reliqua facilè corruunt. Vide de Confutatione par. 1. c. 2. §. 4. & par. 2. c. 1. §. 12.

VI. *Epilogus* precibus potissimùm agat apud Judices, eosque ad Commiserationem moveat.

VII. Oratio *Apologetica* est, cùm *Orator se ipsum defendit*: quæ simili ordine procedit.

VIII. Oratio *Deprecatoria* [gr. Apeuctica] est, *cùm malum aliquod alicui deprecamur*: rem ita exponendo, ut omnis ejus invidia amoveatur. Supplex est: nulla in ea fit Narratio. *Epilogus* excitat ad misericordiam. Reliqua ut in Defensione. Vide in Cap. seq. §. 4.

EPIMETRON.

Oratio *Apotropœa* (h. Depulsoria) est ad averruncandam, sive avertendam iram Superum: quæ est potiùs supplex Deprecatio: ut *Apotropœum Carmen*, *Apotropœum Sacrificium*, ad avertendum aliquod malum imminens. *Apotropœum Medicamentum* est quod appensum, aut alligatum venena, aut incantamenta arcet, aut reprimit: & Dij malorum depulsores, [ut *Hercules & Apollo*] dicebantur *Apotropœi*, *Averrunci*, *Averruncarij*, *Apompæ*, *Apompai*, *Alexìcaci*, *Aliterij*, *Lisij*, *Palamnai*, *Physij*, *Prostropœi*; tum *Satères*, & *Tutani*: Deæ verò, quas præesse fabulabantur tutandis frugibus, *Tutelìna*.

§. XXX.

Oratio Controvertens, sive Controversia (gr. Amphisbethèma.)

I. EST, *Certarum personarum de Re propria Contentio*.

II. Cùm Controversię subsint huic generi Judiciali, sequen-

quendus est in ijs ordo Orationum prædictarum, Accusatoriæ, & Defensoriæ: Vide Controversias Quintiliani, & Senecæ.

III. *Vindicia* [gr. Eleuteròses] h. *in re controversa Adiudicationes.* 1. Rem exponunt. 2. Adversarium confutant. 3. Causam adiudicant sententiæ potiori.

§. XXXI.

Oratio Invectiva (gr. Steliteutica)

I. EST *Oratio mordax, & reprehensiva*; qua utimur vel in vitia generatim, vel in singulares personas; puta Rebelles, vel Improbos famosiores.

II. *Exordium* ab Expositione sceleris, Abusus, Vitijve cujuspiam, ex abrupto: vel a Perfidia, & Improbitate Personæ, per Thesin.

III. *Propositio*, Maximè improbam esse Personam illam; vel Tale vitium non ferendum.

IV. *Narratio*, Explicet Facta singulatim in illo vitij genere; vel vitam omnem Personæ a puero discutiat.

V. *Confirmatio*, Crimina exaggeret; ostendatq; supplicio digna.

VI. *Epilogus* hortetur Auditores ad illius vitij fugam; vel Iuces, & Senatum ad vindictam, & remedia. Vide cap. 1. §. 13.

§. XXXII.

Oratio Comminatoria [gr. Apiletica]

I. EST, *Qua habetur in Improbos.*

II. *Exordium* ferè ex abrupto. Reliqua, ut Invectiva.

§. XXXIII.

Oratio obiurgatoria [gr. Epitimetica]

I. EST, *Qua habetur in quempiam alicujus delicti reum.*

II. *Exordium*, a spe decepta: e. g. *Nunquam credideram*, &c. vel

vel a Dubitatione, unde initium petatur.

III. *Propositio*, Magnam esse criminis atrocitatem.

IV. *Narratio* Rem per Hypotyposin sub oculos subijciat.

V. *Confirmatio*, crimen, præsertim ab Adiunctis, exaggeret.

VI. *Epilogus* Orationis Lenimentum sit, ostendendo Objurgationem ab amore profectam.

§. XXXIV.

Oratio Expostulatoria [gr. Memptica]

I. EST, *Qua habetur in Amicum ob acceptam injuriam.*

II. *Exordium* a Commemoratione Beneficiorum in eum collatorum, & Admiratione, quòd tam malè repensa sint. Amoveat tamen a se omnem odij suspicionem.

III. *Propositio*, Magnam Iniuriam extitisse.

IV. *Narratio*, Rem exponat cum suis circunstantijs.

V. *Confirmatio*, ab aliorum Comparatione, a Causis, ab Exemplis, rei indignitatem exaggeret.

VI. *Epilogus* excitet primò metum, verecundiam, pœnitudinem: tum fiduciam, & spem veniæ, & clementiæ, instaurandæque Fidei, & Amicitiæ.

§. XXXV.

Oratio Exprobratoria (gr. Onidistica)

I. EST, *Qua habetur in Ingratum*: fere eadem ac Expostulatoria.

II. *Exordium*, ex abrupto, testem appellet Conscientiam ipsius.

III. *Propositio*, Magnam Ingrati Animi significationem dedisse.

IV. *Narratio* Rem exponat cum suis circustantijs.

V. *Confirmatio* duo continet. 1. Amplificationem collatorum in ipsum Beneficiorum. 2. Exaggerationem ejus Ingrati Animi, transeundo ab Hypotesi ad Thesin, h. Criminis in genere.

VI. *Epilogus* motum excitet timoris, & verecundiæ.

VII. Nota . Has tres postremas ad Epistolare genus magis spectare .

§. XXXVI.

Oratio Concitatoria (gr. Parormetica)

I. EST *Acre Orationis genus ad tumultum populi commovendum , & seditionem conflandam* . Adhibendum adversus Ducem , vel Principem impia & manifestè iniqua imperantem : e. g. si adversus Ecclesiam, & Pontificem , ejusve Decreta quidquam juberet .

II. *Exordium* ex abrupto .

III. *Propositio*, Talibus Imperatis neutiquam obtemperandum.

IV. *Confirmatio* , Artificij plena esse debet , ab Indignitate rei , a Legibus Divinis , a Consequentibus , &c . Prosopopoeja , Ethopoeja , Interrogatione , Exclamatione , alijsque vehementioribus Schematis , tanquam telis, & facibus, agendum .

V. *Epilogus* vehementissimos Detestationis , Iræque motus succendat .

§. XXXVII.

Oratio Conciliatoria (gr. Diallactica)

I. EST , *Qua Populi injustè diffidentis partes ad concordiam revocamus* .

II. *Exordium* lene , ac temperatum , gravitatis , prudentiæ, ac benevolentiæ plenum .

III. *Propositio* , Iniustum esse Diffidium , vel odium inter se, vel in Principem excitatum .

IV. *Confirmatio* , 1. Nullam esse rationem , vel causa malis, Diffidij , vel Odij . 2. Non convenire neque Legibusnetque Principis virtuti , neque Populi præclaræ Indoli . 3. Damna ex tali Diffidio proventura recenseat. 4. Rem omnem Tranquillitate præclariùs peractum iri .

V. *Epilogus* , Fiduciam ostendat , Populum bona indole prædi-

ditum ad Saniora consilia revocandum; ad quod proposita spe melioris rerum exitus incitabit.

§. XXXVIII.

Causidicus (gr. Dicæologus)

(*ubi perorandi mos viget*)

I. AGendum illi est cum gravitate, & moderata Libertate dicendi; ut nihil suæ causæ diffidere, sed in Æquitate Iudicum confidere videatur.

II. Hæc autem Libertas major in Sene, moderatior in Juvene sit oportet.

III. Dicendi ordo e supradictis petatur, præsertim ab oratione Accusatoria, & Defensoria.

§. XXXIX.

Orator Sacer [gr. Ecclesiastes]

I. DEbet esse in lectione Sacrorum Codicum, SS. Patrum, & Historiæ Sacræ, sed præsertim in Philosophia, ac Theologia, & Divino Jure versatus.

II. Studeat, Populo probari, Tullianę memor sententiæ (in Bruto) *Id ipsum est Summi Oratoris, Summum Oratorem populo videri: Quod enim probat Multitudo, hoc idem Doctis probandum est.*

In Genere Deliberativo.

1. E*Xordium* Auditores attentos, ac benevolos reddat, exposita Dignitate, vel Utilitate rei, de qua agitur. 2. *Narratio* plerunqne nulla. 3. *Propositio* sit clara, tum *Partitio*; quæ sub Exordium fieri potest. 4. *Confirmatio* suadeat ab *Honesto*, *Utili*, *Necessario*, *Facili*, & *Jucundo*. Si dissuadet, a *Turpi*, *Inutili*, *Pernicioso*, *Difficili*, *Iniucundo*. Testimonia adhi-

adhibeat Divina e sacris Paginis. 5. *Epilogus* argumenta recolligat, & motus animorum concitet. 6. Perorata causa modum ostendat, quo virtus comparetur, vitium evellatur. 7. Habenda est ratio Populi, ad quem fit sermo: Populus rudior, & agrestis stylum simplicem postulat; & utilitate, ac spe, vel metu, ac periculo movetur: Urbanus, & cultior stylum politiorem requirit; & Honesto vel Turpi movetur magis.

In Genere Demonstrativo.

1. VIde Ordinem, ac Dispositionem supra allatam in hoc Genere. 2. Laus Heroum, & SS. Virorum a Bonis Naturæ, Fortunæ, ac Divinis Charismatis petenda. Vide quæ in Oratione panegyrica, & in Progymnasmatis de Laude dicta sunt. 3. Facta, Dicta, & Miracula, non quæcunque, sed insignia commemoret, & amplificet. 4. Auditores ad imitationem inflammet.

In Genere Didascalico [sive Sacrę Lectiones]

I. IN primis inhæreat Sensui S. Scripturę juxta mentem Patrum explicando; nec pravè distorqueat, aut coactè interpretetur.

II. Quadrupliciter autem distinguitur. 1. *Literalis*, sive Historicus h. quem immediatè significant ipsa verba. 2. *Mysticus*, seu Spiritualis, quem non significant proximè ipsa verba, sed res intellecta per verba: qui rursus triplex est, tribus Virtutibus Theologicis respondens. 1. *Allegoricus*, qui pertinet ad Ecclesiam Militantem, & respondet Fidei. 2. *Anagogicus*, qui pertinet ad Ecclesiam Triumphantem, & respondet Spei. 3. *Tropologicus*, qui spectat ad Mores, & respondet Charitati. E. g. *Hierusalem* literaliter significat Urbem Palæstinæ, Allegoricè Ecclesiam Militantem, Anagogicè Triumphantem, Tropologicè Animam. Hi omnes sensus sunt intenti a Spiritu S. Præter hos est Sensus ab Homine, quem vocant *Accomodatitium*; quem scilicet quisque pro libito aptare potest; modò piè, ac citra falsitatem,

aut absurditatem. Sic illud Lucæ 22. *Ecce duo gladij hic* Bonifacius VIII. accomodat duplici Pontificis Potestati; *Spirituali* videlicet, & *Temporali*.

III. Explicet Rerum essentiam, & Qualitates, sive Affectiones: causas, & effectus perquirat.

IV. Primò ea tractet, quæ ad Consequentium intelligentiam conducunt; ut a facilioribus ad difficiliora; a notioribus ad minùs nota; ab effectibus ad causas; ab ijs, quæ sub sensum cadunt, ad ea, quæ intellectu percipiuntur, progressum faciat.

V. *Exordium* sit breve; totumque Argumentum contineat, Divini Spiritus ope ritè invocata.

VI. *Propositio* sit ipsa Expositio Rei pertractandæ: sed Brevis, Clara, & ad Attentionem, ac Docilitatem conciliandam idonea.

VII. *Confirmatio* e Sacris Paginis, & nostræ Religionis Mysterijs, ac SS. Patrum Interpretationibus: & ferè semper Hypothesin ad Thesin revocet, ad Animorum utilitatem. Addatur, sicubi opus, Confutatio.

VIII. *Epilogus*, quæ tota Lectione sunt pertractata, recolligat; cum Interrogatione ad Auditores; An non assentiantur, an non afficiantur, &c. deinde cum Apostrophe ad Divinas Personas, gratias agendo, ad Deiparam Virginem, ac Cœlites, eorum opem implorando.

CAPUT III.

De Epistolis, earumque structura.

AD has quoque Rhetorica est opus: si quidem suadent, dissuadent, laudant, vituperant, arguunt, defendunt; aliquid demique eorum, quæ Oratoriæ propria sunt, quasi totidem Oratiunculę, vel Pars earundem, actitant. Quin etiam Epistolarum species ferè omnes ad tria Causarum genera reducuntur.



§. I.

Quid sit Epistola, ejusque Dispositio, ac Stylus.

I. EPistola [h. Missum, Mandatum] est *Animi nuncium ad Absentes*. Cicero appellat *Amicorum colloquia absentium*. [2. Philipp.]

II. *Exordium*, Benevolentiam aucupatur, scribendi occasionem aperit.

III. *Propositio*. Quid velimus, breviter, ac dilucidè exponit; vel Negotium, aut Factum narrat.

IV. *Confirmatio* Rationes affert ad suadendum, vel dissuadendum, nisi sit purè narratoria.

V. *Clausula*, Preces addit, Salutem impertit, seseque Absenti vovet, ac dedicat.

VI. Stylus simplex, decens, venustus, non verò Oratorius, aut turgidus esse debet. Ornatur Adagijs, Sententijs, Jocis in tempore, ac loco.

VII. Dotes ejus præcipuæ sunt Brevitas, Concinnitas, recta Dispositio; neu sit nimis elaborata, neve in ea nimis affectata Officiositas.

EPIMETRON.

1. Adijcio quędam vocabula ab *Epistola* derivata. *Epistolium* est Parva Epistola: *Epistolaris, e.* ad Epistolam pertinens. *Epistolares*, Amanuenses, qui describunt literas. *Epistòleus*, Epistolarum scriptor, & magister. *Epistaticus*, scribendis epistolis operam dans. *Epistoliàphorus*, Qui fert epistolas, Tabellarius. *Ab Epistolis*, à Secretis literarum.

2. Quæ scribitur, ob rei gravitatem, etiam Præsentibus, appellatur *Codicillus*, vulgò *Biglietto*.

§. II.

Epistolæ in Genere Deliberativo.

I. EPistola *Suasoria* (h. ut quis quid deliberet) 1. Captat paucis benevolentiam Laude Amici, Scribentis mode-

destia. 2. Negotium exponit. 3. Rationibus confirmat, ab *Honesto*, *Utili*, *Necessario*, *Facili*, *Tuto*, *Jucundo*: tum ab Exemplis. 4. Si qua sint confutanda, refellit. Vide Cic. lib. VI. ep. 8 VII. 20. VIII. 16. XI. 23.

II. *Dissuasoria* (h. ne quis quid deliberet) similem petit dispositionem. Confirmat per opposita, a *Turpi*, *Inutili*, *Pernicioso*, *Difficili*, *Incerto*, *Iniucundo*. Cic. VI. 20. X. 25. 26. XIV. 1. 12.

III. *Hortatoria* (ut quis quod deliberavit, perficiat) Vide Cic. I. 8. 9. II. 3. 4. 7. 12. 18. 19. IV. 3. 7. 8 9. 10. V. 14. 17. 21. VI. 1. 3. 6. 7. 12. 13. 14. 23. VII. 6. 9 11. 17. 18. 31. IX. 2. 8. 9. 14. X. 1. 3. 5. 12. 13. 14. 19. 20. XI. 5. 7. 29. XII. 1. 8. 9. 10. 11. 24. XIV. 18. XV. 14. XVI. ferè per totum. Tum

IV. *Dehortatoria* [ne exequatur, vel ut ab incepto desistat] eodem disponuntur modo. Valent hic rationes a *Laude*, ab *Amicorum expectatione*: quæque incitent ad *Spem*, *amorem*, *odium*, *metum*, *miserationem* &c. Cic. VIII. 5.

V. *Consolatoria*. Ostendit, nullam esse causam dolendi, præter Vitium, & Turpitudinem: Laudat Amici Prudentiam, & Fortitudinem: Calamitatem extenuat: Commoda aperit inde provenientia: Exempla adijcit fortium Virorum in simili re: Hortatur, ut bono animo sit, utque mentem ad hilariora traducat. Cic. II. 2. IV. 3. 5. 13. V. 14. 16. 18. VI. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10. 11. 14. 15. 22. VII. 3.

VI. *Responsoria*. Gratias agit de officio: Ingenium, studium, amorem scribentis dilaudat: declarat, quantum ejus apud se valuerit consolatio ad leniendam tristitiam. Cic. *II*. 13. 15. 17. IV. 4 6. V. 11. 13. VI. 19. VII. 2. 25. 27. 31. 33. IX. 15. 17. X. 21. XI. 24. XIII. 24. 29. XIV. 6. XV. 6. 14. 21. XVI. 18. 21.

VII. *Petitoria* Captat, sed sine exquisito artificio, benevolentiam: Pudorem petentis aperit, simul necessitatem petendi: exponit breviter Petitionem: Confirmat a *Iusto*, *Pio*, *Facili*, *Utili*, *Honesto*: Obtestationem subijcit, cum spe impetrandi ab ejus perspecta Liberalitate. Cic. II. 6. 7. III. 2. 3. 11. V. 4. 9. VI. 17. VII. 29. 32. VIII. 2. IX. 8. XI. 2. 4. 9. 19. XIV. 8. XV. 1. 4. 7. 10. 13. XVI. 25. 26.

VIII. *Commendatoria* [qua aliquem alicui commendamus] declarat, Perſonam, quæ commendatur, ad ſe attinere, ſui optimè meritam, bonitate præditam, laude dignam: Rem exponit: Confirmat ab *Honeſto, Utili, & Facili*: Adijcit obſecrationes, & ſpem obtinendi ab Amici Benignitate, & Humanitate: Pollicetur, Beneficij memores fore, qui beneficium receperint. Cic. I. 3. II. 6. 14. III. 1. V. 5. 9. VI. 9. VII. 5. 21. VIII. 9. IX. 13. XI. 16. 17. 22. XII. 21. 26. 27. XIII. fere per totum.

IX. *Monitoria*. 1. vel Amici Vitium indicat, ut ad bonam frugem revocet: & tunc aſperitatem induat, Amici tamen laude mitigatam, & quatenus licet, Vitio extenuato: Diſponendi ratio ſimilis Diſſuaſoriæ, ac Dehortatoriæ: Addat illuſtrium Virorum exempla, & dicta: ſubijciat, ſe Amici amore unicè impelli: Oret ut Amicus quoque Scribentem moneat, pari officio, & libertate; ita ejus Benevolentiam magis teſtatam fore. 2. Vel aliquid agendum Amico neſcienti declarat: tunc verò aſperitate, & objurgationibus vacat: ſed gravitate verborum, quid illi conveniat, exponit. Reliqua diſponuntur, ut in Suaſoria, & Hortatoria. Cic. VI. 21. XI. 9. 20. 26. XII. 19.

X. *Mandatoria* (qua alicui, quid illum facere velimus, mandamus) nihil habet artificij, præter Elegantiam, & Brevitatem. Cic. XIV. 10. 13. 21. XVI. 19. 20. 22. 23. 24.

XI. *Conciliatoria* (quæ in Benevolentiam Perſonæ anteà ignotæ ſe inſinuat) Cauſas talis Amicitiæ jucundæ ſine aſſentatione aperit; ſuaque illi viciſſim officia exhibet, ſine arrogantia.

XII. *Invitatoria* (qua Amicus ad Geniale quid invitatur) Tractatur ferè ut Suaſoria.

§. *III.*

In Genere Demonſtrativo.

XIII. N*Unciatoria* (quæ Amicum rei, quam ſcire cupiat, certiorem facit). Narratio ſit Brevis, dilucida, venuſta, probabilis. Huc ſpectant Deſcriptiones Perſona-

rum,

rum, Locorum, Animalium &c. Cic. I. 1. 2. 4. 5. 6. 7. II. 10. 11. 16. III. 1. 4. IV. 11. 12. V. 6. 10. VI. 2. 8. 15. 19. VII. 1. 4. 19. 23. 26. 33. VIII. 1. 2. 4. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. IX. 1. 3. 6. 16. 17. 18. X. 8. 11. 12. 13. 15. 16. 17. 18. 21. 22. 23. 28. 30. 32. 33. 34. XI. 1. 5. 8. 10. 11. 13. 23. XII. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 22. 23. XIII. 68. 77. XIV. 1. 4. 5. 7. 11. 15. 22. 23. 24. XV. 1. 2. 3. 4. 15. 17. 18. XVI. 1. 2. 3. 4. 5. 9. 10. 11. 21. 22. 23. 27.

XIV. *Apprecatoria* [qua Paschales Christi Domini ferias felices alicui quis apprecatur]. Dicat, sese officio moneri, ut has illi faustas tum animo, tum corpori auguretur; ad animum quoque scribentis, præsertim si cum ejus mandatis conjunctæ sint, redundaturas. Clausula ut in §. 1. n. 5.

XV. *Promissoria*. Vide Cic. X. 4. 7. 9. 11. XIII. 77.

XVI. *Laudatoria*(qua Amicum officio perfunctum laudamus) Hortatur sub finem, ut quam Virtutis & laudis viam est ingressus, tenere pergat. Cic. VII. 28. IX. 6. X. 3. 10. XI. 15. 29. XII. 13. XV. 20.

XVII. *Gratulatoria* (qua honorem, dignitatem, aut quid faustum Amico gratulamur) Ostendit, quantum e tali re ceperit voluptatis: Extollit rei magnitudinem ejus meritis respondentem: Apprecatur, ut ei, amicis, Patriæ benevertat. Potest & *Obliquè* fieri Gratulatio, non amico, sed Dignitati; quæ tanta Persona sit illustrata: tum gaudendo, quòd Amicus par in ea Dignitate Virtutis suæ ostendendæ Theatrum sit nactus. Cic. II. 5. 7. 9. 19. III. 9. 11. 12. VI. 12. 13. 16. VII. 15. VIII. 13. X. 14. XII. 15 16. 19. XV. 5. 7. 8. 9. 12. 13. 14. XVI. 16. 21.

XVIII. *Gratiarum actio.* Beneficij magnitudinem extollit; quòd vel ultrò, vel citò, vel opportunè, & supra meritum collati: Pollicetur, citra jactationem, Amici officio se per fortunas suas responsurum; gratum certè, memoremque animum habiturum: Superos orat, ut ipsi vicem suppleant. Potest & obliquè fieri Gratiarum actio; imparem sese agendis gratijs contestando. Sed tunc, non agendo, maximè gratias agit. Cic. III. 5. 13. X. 11. 24. 34. XIII. 18. 24. 27. 28. 41. 42. 54. 62. 64. 73. XV. 11. 21.

XVII.

XIX. *Officiosa* [qua ultro Amicis subsidio egentibus operam nostram offerimus; vel munusculum aliquod mittimus.] Donum extenuandum, Affectus exaggerandus. Cic. V. 8. VI. 10. II. 22. X. 29. XI. 6. XVI. 6. 7. 8. 12. 13. 14. 15.

XX. *Familiaris* [qua cum Amico fidenter, & familiariter agimus] Cic. VI. 18. VII. 7. 15. IX. 23. 24. 26. XII. 28. XVI. 6. 7. 8. 12. 13. 14. 15.


XXI. *Jocosa* [cum jocamur cum Amicis]. Jocus tempestivus sit oportet, liberalis, Decòri memor, sine affectatione, offensione, turpitudine. Cic. I. 10. VII. 4. 7. 20. 11. 12. 13. 14. 18. 32. IX. 4. 7. 10. 16. 19. 20. 22. 23. 24. 25. XII. 20. XV. 19.

XXII. *Moesta. Flebilis.* [cùm, quid adversi nobis acciderit, Amico significamus]. Nihil opus est arte, ubi Natura, & dolor disertum facit. Cic. IV. 6. 12. V. 25. IX. 11. XIV. 1. 2. 3. 4. 9. 17. 19.

XXIII. *Nuncupatoria*, seu Dedicatoria [cùm quis Personæ illustri Librum, vel Theses dedicat] 1. *Exordium* ab occasione, & causis dedicandi, ab Officio Dedicantis, a Dignitate Personæ, cui fit Dedicatio. 2. *Propositio*, Jure optimo illi præ ceteris dedicandum. 3. *Confirmatio*, Merita, ac Laudes Personæ, Familiæ, Avorum; & Stemmata, ac Beneficia tum publica, tum privata recenseat. 4. *Clausula*, se, suaque studia tanto Mecœnati commendet; oretque, ut suam in fidem recipiat; addita animi æternùm memoris contestatione.

XXIV. *Disputatoria*, Discutit res literarias, & doctrinas. Hac utuntur Docti de re quapiam inter se sciscitantes; aut, si qua in re minùs conveniat, disputantes. Cic. IX. 22.

XXV. *Mista* (in qua plures e supradictis, vel infra dicendis formæ concurrunt) ex singularum norma disponenda. Cic. II. 13. 15. 17. IV. 4. 14. IX. 15. XII. 17. 18. 25. XIV. 16.



§. IV.

§. *IV.*

In Genere Judiciali.

XXVI. C*Riminatoria*, sive Accusatoria, statim ex abrupto rei atrocitatem, doloremque scribentis indicat; idque per Exclamationem, vel Dubitationem, aut similem Figuram: Rem exponit: Delicti gravitatem argumentis confirmat, & exaggerat. Cic. II. 10. V. I. 5. X. 1. 27. 32. XI. 18. XII. 2. 3. 4. Obiurgatoria. VII. 27. XVI. 17.

XXVII. *Recriminatoria* [cum quis accusatus vicissim accusat]. Cic. III. 8. V. 2.

XXVIII. *Expostulatoria* queritur de Iniuria accepta ab Amico: Lenienda tamen Querimonia joco, vel laude Amici, nè Amicitiam dissuere velle videatur: Hortatur, ne in posterum ansam det, unde conqueri jure possit; id quod alteri dedecori, alteri mœrori futurum sit. Cic. II. 8. III. 6. 7. V. 7. VII. 24. 30. VIII. 12. 17. X. 28. 33. XI. 3. 12. XII. 1. 8.

Huc pertinet *Exprobratoria* in Ingratos, aliquantò severior, sed parciùs adhibenda.

XXIX. *Comminatoria* est in Improbum: Orditur ex abrupto: Improbitatem, exaggerat, minas intentat.

XXX. *Excusatoria* [qua utuntur, quos expostulatio lacessivit] Cic. I. 8. 9. II. 1. 16. III. 8. 10. V. 3. 17. 20. VI. 2. 7. 23. IX. 2. 5. 26. X. 2. 4. 7. 8. 31. 35. XI. 13. 27. 28. XII. 30. XIII. 24. 29. XIV. 2. 6. XV. 5. 17. 18.

XXXI. *Defensoria* [qua utuntur, qui accusati sunt]. Utrique significent, utranque, h. Expostulationem, & Accusationem, sibi gratam accidisse, ut ab amantissimo animo profectam; tum rationibus ostendant, eam culpam procul ab eis extitisse, vel leviorem fuisse: Diligentiores deinceps futuros in illius Criminis fuga. Cic. III. 10. *Confutatoria* huc pertinet, seu *Contentiosa*. Cic. IX. 21. & *Apologetica*, qua viri docti sua opera vindicant a Censuris.

XXXII. *Monitoria* (quæ est lenis obiurgatio) & *Obiurgatoria*,

(quæ

(quæ est acrior Admonitio) convenit cum Accusatoria. Cic. VII. 8. 27. & XVI. 17.

XXXIII. *Deprecatoria*, (qua Culpam fassus ignosci sibi, vel aliis petit). Laudat Humanitatem, & Clementiam ejus, quem placare contendit: Ingenuè culpam fatetur, quam tamen extenuet, quantum fas est: Ostendit eo confici pudore Culpæ reum, ut Misericordia dignus videatur: Spem melioris vitæ pollicetur, ex bona indole, alijsque Virtutibus: Suam Auctoritatem, Amicitiam, Benevolentiam interponit. &c.

EPIMETRON.

Sunt & alia Epistolarum genera, ut *Apostolicæ*, *Catholicæ*, *Decretales*, *Pastorales*, *Synodales*, *Dimissoriæ*, *Commendatoriæ*, seu *Patentes*, *Memoriales*, &c. Sed has utpote ad Rem Ecclesiasticam, vel Civilem spectantes, prætermittimus.

CAPUT IV.

De Affectibus (gr. Pathetica.)

§. *I.*

Quid, & Quotuplex sit Affectus.

I. AFfectus [gr. Pathos] est Motus Animi ex Boni, vel Mali opinione excitatus: Hinc *Pathopœia*, Figura nempe omnis, quæ affectus movet.

II. Duæ sunt Affectuum classes: alij enim a Concupiscibili, alij ab Irascibili proficiscuntur, seni ab utroque genere: sive terna sunt Binaria continentia passiones inter se oppositas per Accessum, & Recessum: videlicet.

III. In Concupiscibili *Amor*, & *Odium*; *Desiderium*, & *Detestatio*; *Gaudium*, & *Tristitia*; in Irascibili *Spes*, & *Desperatio*; *Timor*, & *Audacia*; *Lenitas*, & *Ira*.

§. II.

§. II.

Affectus à Concupiscibili.

I. AMor est *Propensio Voluntatis ad Bonum*. Triplex est autem Bonorum genus; Honestum, Utile, Delectabile. Ab his Amor excitatur: minuitur contrarijs. Dividitur Amor in Amorem *Concupiscentiæ*; nempe cùm quis amat Bonum sibi, e. g. Honorem, Victoriam, Mercaturam: & *Benevolentiæ*; cùm quis amat Bonum alteri: sic Pater amat Filium. Rursus hic Amor, si non est mutuus, est *Pura Benevolentia*; si verò est mutuus, dicitur *Amicitia*. Amoris Benevolentiæ *causæ* sunt, Virtus Amati, Morum similitudo, Fidelitas, Familiaritas, Beneficentia, Grati animi significatio, &c. Amoris *Signa*, *& effecta* sunt, Timor, Suspicio, Ira, Lacrymæ, Imitatio, Comitatus in periculis, Ardor, Desperatio, &c.

II. Odium est *Animi Aversio ab eo, quod sibi malum opinatur*. Excitatur ab incommodis sibi illatis, a Contemptu, vel injuria accepta, a vitijs alterius: minuitur precibus, & expositione Contrariorum. Præterea ejus *Causæ* sunt Antipathia, Abundantia atræ bilis, Immanitas, & fœditas ingenij naturalis. *Effectus*, Imprecatio, Exprobratio, Convicia, Minæ, Ultio.

III. Desiderium est *Appetitus Boni absentis*. Excitatur proposita Boni Opinione: minuitur propositis incommodis. Præterea ejus *causa* est spes obtinendi: *Effectus* Anxietas, Vigiliæ, Suspiria, Impatientia, Velocitas in agendo, Audacia, Locutio frequens de re exoptata.

IV. *Detestatio*, seu Fuga est *Aversio a Malo absente*. Excitatur proposito Malo: minuitur propositis Commodis. Prætereà ejus Causæ & Effectus ea sunt, quæ Desiderio adversantur.

V. Gaudium est *Delectatio de Bono præsenti, quatenus præsenti* reprimitur proposita Boni vanitate. Ejus *causa* sunt Bonum ipsum præsens, præsertim insperatum. Spes melioris fortunæ, Rerum novitas, admirabilitas, jucunditas.

Effe-

Effecta Oris serenitas,& festivitas, lacrymæ ex lætitia,spes, gratulatio,præteritorum periculorum jucunda memoratio.

VI. Tristitia, seu Dolor est *Ægritudo ob Malum præsens*. Expellitur proposita Patiētię Honestate, ac Prȩmio;& Exemplis Heroum. Ejus *Causa* sunt Bonorum amissio, Consanguineorum mors, Calamitatis indignitas, &c. *Effectus* Squalor, languor, solitudo, querimoniæ, fletus, &c.

§. *III.*

Affectus ab Irascibili.

VII. SPes est *Boni ardui futuri expectatio*. Excitatur magnitudine Boni: infringitur ejus difficultate. Præterea ejus *Causa* sunt Potentia obtinendi, certa præsidia, vires animi, & corporis, auctoritas, industria &c. *Effectus* Credulitas, Suspensio animi &c.

VIII. Desperatio est *Ægritudo animi sine expectatione meliorum*. Excitatur ex difficultate Remedij: minuitur proposita ejus facilitate. Præterea ejus *Causa* sunt Ingens calamitas, Ignavia, nulla subsidia. *Effectus* Mortis cupido, & studium, Metuum, ac Periculorum contemptus, Pallor, Ultionis amor.

IX. Timor est *Perturbatio animi ob malum imminens*. Excitatur Mali difficilè evitabilis vicinitate: mitigatur virium persuasione. Præterea ejus *Causa* sunt Impendentium malorum signa, Potestas in hoste, acceptæ iniuriæ experientia. *Effectus* Horror, Inquies, sollicitudo, suspicio, titubatio, fuga.

X. Audacia est *Impetus voluntatis prosequendi Bonum arduum*. Excitatur spe superandæ difficultatis: minuitur contrario. Prȩtereà ejus *Causa* sunt, Erectus animus, Difficultas partim superata, subsidia, æquitas Causæ, Divina Voluntas. *Effectus*, Belli cupido, Comparatus animus ad pericula, in rebus arduis delectatio, fiducia, securitas, Mortis contemptus.

XI. Lenitas est *Ægritudo animi ob malum cuipiam immeritò illatum*. Conciliatur proposita Patientis vel Innocentia, vel

vel ingenua Confessione, Demissione, Dolore, vel levitate culpæ, aut malitiæ. Porrò ad Iram leniendam apti sunt Pueri, Fœminæ, Senes. Minuitur verò Lenitas contrarijs.

XII. Ira est *Ultionis appetitus cum dolore conjunctus.* Excitatur vehementi apprehensione Iniuriæ: flectitur precibus. Differt ab Odio, quòd hæc sit brevis, illud diuturnum; ideò appellatum *Ira inveterata*. Præterea Iræ *Causa* sunt Contemptus opinio, Injuria accepta præsertim ab Amicis, & Propinquis, Vituperatio eorum, quæ laudamus, Convicia, Ingrati animi vitium, Obtrectatio, &c. *Effectus*, Ardor in oculis, Imprecatio, Desiderium vindictæ, minæ, &c.

§. IV.

Affectus alij, qui ex Superioribus oriuntur.

XIII. ÆMulatio, h. *Animi motus, quo Bonum alienum nobis optamus*. Honestus Affectus est: movetur illustrium virorum exemplo: refertur ad Desiderium.

XIV. Invidia, h. *Animi motus, quo quis dolet de bono alieno ut alieno*. Refertur ad Tristitiam.

XV. Pudor, h. *Animi dolor ex malo, quod famæ labem inferre videatur*. Refertur ad Timorem.

XVI. Inverecundia, h. *Supina animi securitas in eodem malo*. Refertur ad Audaciam.

XVII. Commiseratio. h. *Animi dolor ex malis immerenti illatis*. Refertur ad Lenitatem; si quid differt ab illa. Excitatur magnitudine calamitatis, præsertim si Patiens sit de civibus optimè meritus.

XVIII. Indignatio, h. *Dolor ob res secundas alterius, quibus videatur indignus*. Refertur ad Iram. Differt ab Invidia; quæ est erga Bonos, & sua felicitate dignos. Excitatur comparando. 1. Vitæ prioris sordes cum præsentibus opibus cum Arrogantia conjunctis. 2. Vitia eiusdem cum alterius virtutibus, qui sit postpositus.

XIX. Gratia, h. *Animi motus, quo ferimur ad gratias agendas pro Beneficijs acceptis*. Refertur ad Amorem.

XX. *Eutrapelìa* (h. Urbanitas) *Animi propensio ad sermones jo-*

co, & lepore condiendos. Refertur ad Gaudium.

EPIMETRON.

Hæc Oratorem ſcire decet; ut cognita ſingulorum Affectuum natura, eos efficaci impetu valeat intorquere: e. g. Si *Metum* velit incutere, horribilia proponere, Si *Deſiderium* accendere, Boni magnitudinem meminerit repræſentare:&ſic de alijs,&c.

§. V.

Nonnulla ſuper Affectibus Monita.

I. IN Affectus nunquam aſſurgas, quin illos priùs in temetipſo excitaveris; juxta illud, *Ardeat Orator, ſi velit incendere*. Breviter: *Afficiaris, ut afficias*. Affectus. a. pinguntur in fronte.

II. Ad eoſdem non deveniendum, niſi re demonſtrata: fruſtra enim quis ad Ignoti Amorem, vel Fugam conetur impellere.

III. Non omnes Affectus pariter in omnibus excitantur: alij Perſonis alijs, alijque alijs ſerviunt temporibus. Agreſtes, & Senes facilè timore moventur; Cives,& Juvenes Iracundia &c. Bacchanalia, Quadrageſimales, & Paſchales dies, utique diverſos repoſcunt, proque horum diverſitate variandi.

IV. Clanculum, & quaſi furtim ad Affectus veniendum: ut Auditoris Animus ſponte ſua moveri, non cogi videatur.

V. Vitanda eſt omnis Ingenij oſtentatio, artificium exquiſitum, joci, & ſubtilitas Diſputationum: pleræque enim Figuræ poſitæ ſunt in Delectatione; quæ non convenit,ubi cum atrocitate, ac miſeratione pugnandum: Verborum autem cura Affectibus derogat.

VI. Vitanda & Prolixitas in eodem Affectu: *Lacryma* enim *nil citiùs areſcit*: potiùſque variandi, quam ijdem diutiùs continuandi: ut diximus Par. 1. c. 2. §. 5.

VII. In genere *Laudativo* valent Motus Gaudij, Amoris, Deſiderij, Æmulationis, Gratiæ; in *Vituperando* motus Triſtitiæ, Odij, Iræ, Indignationis; in *Accuſando* Iræ,& Indi-

dignationis; in *Defendendo* Lenitatis, & Commiserationis: in *Suadendo* Spei, & Desiderij; in *Dissuadendo* Timoris, & Desperationis.

VIII. Valet item Industria, ad excitandos Motus: e. g. Rerum imagines ita repræsentare, quasi oculis cernantur; vel etiam proferre in medium cruentas vestes, cadaver, vel Defuncti effigiem; quæ intentos Affectus in animos excitent, altiùsq; imprimant.

IX. In Exordijs locum habent leniores motus, qui per totam deinde orationem spargi possunt: in Epilogis verò vehementiores dominari debent.

X. Qui stylus, quique Pedes Affectibus serviant, vide Par. 1. c. 3. ubi de Stylo, ac Periodo.

CAPUT V.

De Argutiâ (gr. Oxyphasi.)

I. ARgutia est *Dictum acutum, & novitatis specie admirabile.*

II. Argutiarum fontes sunt. 1. Loci Oratorij, præsertim Definitio, Divisio, Etymologia, Opposita, Repugnantia, Causæ, Comparatio. 2. Ex Argumentationibus Dilemma. 3. ex Tropis Metaphora, Metonymia, Allegoria, Hyperbole. 4. ex Figuris Verborum Synœceôsis, Paranomasia. Antithesis. 5. ex Figuris Sententiarum Correctio, Dubitatio, Emphasis, Interpretatio, Ironia, Paradoxum, &c.

§. *II.*

Categoriæ (h. Prædicamenta) Aristotelis.

I. EX his potissimùm Argutiæ eruuntur, quas Aristoteles tractat.

II. Decem omnino Categoriæ sunt: easque nostrum delibat de Epigrammatis Artificio jam prælo paratum Syntagma

producto jocoso Argumento super Lampyride, seu Cicindela, vulgò *Lucciola* .

III. 1. est *Substantia* (gr. Usìa) per quam quærimus quid sit Res: dicimusque, hanc Alitem insultare posse & Stellis, & Soli; quæ suus sibi vel noctu Dies sit, atque Sol.

IV. 2. *Quantitas* (gr. Posòte) h. Quàm magna Res sit: dicimusq; hyperbolicè, hanc parvissimam volucrem efficere, ut Nihilum, quod cerni non potest, vel noctu videamus.

V. 3. *Qualitas* [gr. Pœòte] h. Qualis sit: dicimusque, Hanc esse Flammam sine Flammæ noxa, quasi Ignem Amoris.

VI. 4. *Relatio* [gr. Epanàphora] h. Ad quid referatur: dicimusque, Hac Stellarum Superbiam retundi; cùm & Terra suas Stellas errantes habeat.

VII. 5. *Actio* (gr. Praxis) h. Quid res agat: dicimusque, Hanc unam agere, quod & Sidera, & Aquilæ; nam & volat, & lucet.

VIII. 6. *Passio* (gr. Hypòmone) h. Quibus passionibus sit obnoxia: dicimusque, Nullis hanc vulneribus, ac telis patère; divina ideò quadam sorte, ac privilegio frui.

IX. 7. *Situs* [gr. Topotèsia] h. Modus, quo quidquid ponitur: dicimusque, cùm sit hæc tam exigua, in ejus tumulo vix scribi posse: *Hic sita est* .

X. 8. *Tempus* (gr. Chronos) quo res est: dicimusque, Ipsam duo illa Mortalibus metuenda non pertimescere, Noctem, & Hyemem.

XI. 9. *Locus* [gr. Lochos] in quo res est: dicimusque, Dignum Alite hac Theatrum ipsammet sibi & facere, & circunferre.

XII. 10. *Habitus* [gr. Schema] quo res convestitur: dicimusque, Ipsam & Luce, & Igne innoxio convestiri; h. Honore, & Amore: quibus nec Deos quispiam finxerit nobiliùs cohonestatos.

XIII. Quod nos in Re jocosa lusimus, disce ad graviora transferre.



C A.

CAPUT VI.

§. I.

De Inſcriptione (gr. Epigraphe) & Elogio (gr. Encomio.)

I. INſcriptio latè ſumpta eſt *Brevis Perſonæ, vel rei alicuius deſcriptio.*

II. Strictiùs verò ſumpta pro Encomio *Elogium* dicitur; definiturque, *Laus Deo, vel hominibus dicata.*

III. Eædem inſerviunt utrique regulæ: niſi quòd Inſcriptioni maximè convenit cum Elogio Lapidario: de quo §. 4.

IV. Triplex eſt Elogiorum genus, *Oratorium, Hiſtoricum, & Lapidarium.* [eſt, qui addat *Poeticum*: ſed hoc non differt ab *Epigrammate*, de quo nos ſepoſitum Syntagma jam prælo paratum habemus.]

Jam ſingulorum Characterem, & Stylum inquiramus.

§. II.

Character Elogij Oratorij.

I. NEc eſt planè Periodicus, neque ſtrictim Laconicus, & Conciſus; ſed Rhodius, ac perornatus.

II. Ejus uſus eſt potiſſimùm in Orationibus in genere Exornativo.

III. Aliquando brevius eſt; cujuſmodi Cicero in ſuis ſæpe orationibus interſerit; ut illud de Lentulo: *Parens, Deus, Salus, noſtræ vitæ, fortunæ, memoriæ, nominis*: & illud de Pompeio: *Virtute, gloria, rebus geſtis, omnium gentium, omnium ſeculorum, omnis memoriæ facilè princeps.*

IV. Aliquando verò uberius; ut illud ejusdem Tullij de Martia Legione inter vincendum cæſa: O *fortunata mors, quæ,*

Natura debita, pro Patria est potissimùm reddita! vos verè Patriæ natos judico, quorum etiam Nomen a Marte est: ut idem Deus Urbem hanc gentibus, vos huic Urbi genuisse videatur. In fuga fœda mors est, in Victoria gloriosa. Etenim Mars ipse ex acie fortissimum quenque pignerari solet... Brevis vobis vita data est; at Memoria bene reddita vita sempiterna: &c. Deinde fusiùs pergit ejusdem laudes contexere.

§. III.

Character Historici Elogij.

I. Est Narrationi accommodatus: proinde Oratorio concisior; elegans, eruditus, argutus; atque, ut non tam fusus ut Oratorius, ita paulò liberior Lapidario.

II. Divisiones amat, Antitheses, Isocòla, Emphases, Dubitationes, Interpretationes, Paradoxa; &c.

III. Versus exigit inæquales, æquali utrinque excessu, vel defectu; syntaxi tamen in eodem versu, quantùm licet, collecta.

IV. Ejus usus potissimùm est in *Cœnotaphijs* (h. novis, seu vacuis sepulchris) in quibus Defuncti Herois gesta enarrantur; in *Solennibus Festis*, in quibus Divina Mysteria, vel Sanctorum Cœlitum facta describuntur; in *Magnifico Principis ingressu*, & similibus. Hujusmodi sunt Elogia P. Aloysij Juglaris e Soc. Jesu, ac Emmanuelis Thesauri. Ex hoc uno specimen sume omnium.

D. Joannis Chrysostomi

ELOGIUM.

JOANNES
Eloquentia aureus, Tolerantia ferreus.
Pretiosior fortasse, quòd ferreus, quàm quòd aureus;
Nescias ubi cœperit esse sanctissimus,
Aut quando desierit.

Bo-

Bonas Artes cùm disceret, docuit meliores;
Jam inde Magnus, ubi esse vix cœperat.
Silvescere metuens secessit in silvas;
Exuturus inter feras
Si quid ferinum induerat inter homines.
Alienis clarus in oculis, obscurus in suis,
Urbes, dum fugit, in Erèmum attraxit:
De hoc uno cum Virtute rixatus,
Quòd Latebras impediret.
Se uno dolente revocatus in Patriam,
Non minùs in dicendo, quàm in agendo disertus,
Nescias,
An plures Virtuti dederit, an reddiderit.
Se felicem non reputans,
Nisi cùm Miserorum causas assumeret,
Nullius aurum appetens, omnium animos acquisivit.
Sibi uni durus, quò mitior esset in ceteros,
Salutis omnium memor, quia immemor sui,
Securitatem, quam daret alijs, rapuit sibi.
Sed Monstrum erat, si tanta Virtus Invidis caruisset:
Ideo hostis habitus, quia dissimilis.
Semel atque iterum
A Barbaris pulsus ad Barbaros,
Quòd tantum Hominem Urbs una non caperet,
Plura ferre cupiens, quàm hostis inferre,
Veram Patriam, cùm in Exilium properaret, invenit:
Vir in omnibus Aureus;
Nisi quòd Avaris placere non potuit.

§. IV.

Character Elogij Lapidarij.

EST maximè Laconicus; ornatus, acutus, eruditus: reijcit nexus Transitionum, vel Coniunctionum: per Eclipsin sæpe supprimit verbum: Brevitatem præ alijs amat.

II. Hęc Elogiorum species appellatur generali nomine *Inscri-*

ptio (gr. Epigraphe, sive Programma) locum habet in Sepulchris [sed tunc proprio vocabulo dicitur *Epitaphium*] in Urbium Portis, in Templorum, ac Domorum Januis, in Aris, in Arcubus, in Columnis, in Statuis, in Numismatis, in Fontibus, in Horologijs, in Theatris, in Academijs, in Officinis, &c.

III. Quædam horum Paradigmata [h. Exempla] exhibemus, ex P. Juglaris, alijsque decerpta.

S. Jo: Baptistæ Tumulo.

Lege, Viator, & tace:
Silentium exigit Vox sepulta.
Echo illius hoc superstes in Saxo,
Quid loquatur, attende:
Herodi Epicedia, Christo Epinicia,
Eucharistica sibi, Parænetica tibi.

Sub Imaginem D. Thomæ Aquinatis.

En! tibi omnem
In uno Capite Bibliothecam,
In uno Calamo
Militantis Ecclesiæ Panopliam.

Sub Iconem Viri illustris.

N.
Vetustatis Lux, Nostri Seculi Decus,
Posteritatis Exemplar.

In Cœnotaphio.

Tanto Funeri Præficas
Omnes decet adesse Virtutes.
Omnes regnarunt in Vivo;
Omnes lamentantur in Mortuo.


Su-

Super Januam Episcopalis Palatij Asculani.


Hieronymus Ghimnutius Episcopus
Honesti Cultor, Sacri Custos, Pravi Ultor.

Sub Horologio.

Hic mortis horam cernis, & nescis tuæ.



Ingens Momentum.



Super Theatrum.

In Otio Negotium.

Super Januam Domus.

Ostium non Hostium.

Super Fontem.

Et Anni, & Amnes.

Super Aram Deiparæ ab Immaculato Conceptu.

Deiparæ
Sine labe conceptæ,
Sine labe colendæ.

Super Tumulum.


N.
Merito gravior, quàm Senio,

Vi-


Vixit annos LXX.
Naturæ ſatis, Patriæ parum, Gloriæ ſemper.

Inſcriptionum Ideam, quæ ad Principes, & Imperatores pertinent, videtur aſſecutus P. Carolus Ruæus Soc. Jesu: ut ex his tribus, aureo ſeculo dignis, licebit colligere.


Ludovico Magno.
Flandris, & Sequanis Regno adiectis,
Batavis, Hiſpanis, Germanis
Bello mulctatis,
Pace donatis.



Godefrido
Mareſc. Eſtradio
Cumulata per glorioſæ Pacis gubernationem
Belli gloria.



Jacobo
Mareſc. Duci Duraſſio
Manſuefactis
Prudentia, & Æquitate Sequanorum animis,
Firmato Alſatiæ exercitu.



C A P U T VII.

De Hiſtoriâ (gr. Hiſtorìa.)

§. *I.*

Quid, & quotuplex ſit.

I. Hiſtoria eſt *Narratio ſimplex, & vera*; quæ quid, quo conſilio, ratione, eventu, geſtum ſit, exprimit. Ejus finis eſt *Humanas actiones dirigere.*

II. Multiplex eſt 1. *Chronica* [h. Tempora per ſeriem digeſta.]

2. *An-*

2. *Annales* [gr. Hori : *Horus* Annus, quia Horas continet] h. in quibus complurium res annorum ordine continentur.
3 *Kalendaria* (h. quibus res per menses narrantur)
4. *Ephemerides* [h. Diaria] quibus res per dies singulos gestę describuntur : cujusmodi sunt *Fasti* . *Martyrologia* huc pertinere videntur .
5. *Acta* [gr. Praxes] quæ continent Comitia , & Judicia publica , sive Senatus , sive Populi . (Acta enim propriè dicuntur , quæ gesta sunt ab eo, qui Togatus in Repub.cum Potestate, Imperioque versatus est . Itaque Imperatorum *Res gestæ* dicuntur .)
6. *Commentarii* , vel *Commentaria* [gr. Hypomnematismi , Hypomnemata] sunt Libri in quibus res , non diffusè , sed brevissimè explicantur , Memoriæ causa : vel sunt Diligentes , & continuatæ Narrationes , nudæ quidem , & illaboratæ , sed rectæ , ac venustæ : cujusmodi sunt Libri Cæsaris de Bello Gallico &c. , in quibus videtur materiam alijs ad exequendam Historiam suppeditasse .
7. *Epitòme* (h. Breviaria) quibus res quàm brevissimè , & compendiariò attinguntur .
8. *Regesta*, sive *Registra*, sunt Indices memoriæ causa, in quos regeruntur, seu rediguntur, quæ nobis obvia esse volumus.
9. *Indigitamenta* [h. Libri Pontificales, qui olim nomina Deorum , & rationes ipsorum Nominum , ac Ceremonias continebant) Hoc nomine appellari possunt Catalogi Sanctorum .
10. *Vitæ Virorum illustrium* ; cujusmodi contexit Plutarchus , Suetonius , &c.

§. *II.*

De scribenda Historia Monita quædam .

I. IPsa falsitatis umbra evitanda:proin *Res* dubiæ,& incertæ pro talibus referendæ : & studiosa Personarum Acceptio (quæ gr. *Prosopolepsia*) omnino cavenda .

II. Possunt Conciones interseri ex gravi causa ; cujusmodi apud Livium ; quæ sententijs & energia polleant.

III. Idem

III. Idem dic de Descriptionibus locorum, fluminum, montium, gentium, earumque morum; modò ne nimiæ sint: idem de Elogijs Personarum interferendis.

IV. In Narratione servandum Principium, Medium, Finis; cujus occulta quædam semina jacienda: tum causæ, & consilia investiganda: Animadversiones, & Gnomæ Politicæ inserendæ.

V. Stylus sit Atticus, non verò Laconicus: & jam fusior, jam brevior; sententijs, ac figuris interdum, & moderatè, illuminatus; præsertim Epiphonemate, Exclamatione, &c. Similitudines in loco, Comparationes, ac Digressiones, modò non longiusculas, Historia non dedignatur. Denique Historicum, quò res altiùs inscribat animis, præstat quodammodo Poetam agere, & vivida Formularum specie, atque Imaginibus, & Phantasia rem convestire.

VI. Nota. Historiæ necessarias esse, ceu gemellos oculos, Chronologiam, & Geographiam, h. Temporum rationem, & Locorum descriptionem: quas si detrahas cæca erit Historia.

VII. Ne spernas, moneo, ordinatum studium veterum Numismatum, lapidum, gemmarum, totiusque Antiquitatis.

C A P U T VIII.

De Phrenoschemate.

§. *I.*

Quid sit Phrenoschèma.

I. PRhenoschèma græcè (h. Mentis Figura) latinè *Insigne*, Italicè *Impresa; est Heroici conceptus Symbolum, seu signum visibile*; *Figura, & Dicto compositum*. e. g. si ad significandum hunc mentis conceptum *Princeps Justus*, Solem pingas meridianum cum lemmate: *Respicit æquè*.

II. Fuit

II. Fuit ab Heroibus Græcis inventum Bello Trojano, in Clypeo præclarè gesta sculpentibus.

§. II.

Quale sit Phrenoschèma.

I. NOn est quid proprium, sed Metaphoricum; sive Allegoricum.

II. Metaphora autem alia est *Attributionis;* quæ scilicet non est aliena, sed pertinens ad rem significatam; estque in eodem genere: ut est *Ensis* respectu Belli, *Bilances* respectu Justitiæ, *Laurus* respectu Poetarum. Sic Academia Parisiensis exprimit Laurum cum lemmate: *Immortalitati*.

III. Alia est *Proportionis*; quæ scilicet est inter duo similia, sed diversi generis: Sic ad exprimendum Ducem in prælijs intrepidum, picta fuit Aquila inter fulmina, cum lemmate: *Nec metuenda timet*.

§. III.

Quod sit perfectum Phrenoschema.

I. PHrenoschema Proportionis perfectius est Phrenoschemate Attributionis: nam perfectius est, rem unam per aliam diversi generis explicare; quia sic plura docet; quàm per rem ejusdem generis, quæ docet pauciora.

II. Perfectissimum tamen Phrenoschema est, quod Metaphoram utranque complectitur; e. g. si Corpus Phrenoschematis ad Herois Stemma pertineat: cujusmodi est *Histrix*, Insigne Ducatus Regis Galliarum. Quare omnium perfectissimum existimatur illud de Ludovico Galliarum Rege, ad ejus Potentiam tum prope, tum procul, in Bello, & Consilio, significandam: nempe *Histrix* cum Lucani Dicto lib. 4. *Cominus, & Eminus*.

III. Perfectum Phrenoschema debet esse Quadratum, h. quatuor includens terminos, qui sint Correlativi: itaut Lemma possit æquè de Corpore & Anima Phrenoschematis enun-

enunciari : ut videre est in prædicto: nempe *Histrix pungit*, *Ludovicus vincit*.

§. IV.

Requisita ad perfectum Phrenoschema.

I. Corpus Phrenoschematis sit 1. *verum*, non fabulosum, cujusmodi *Cerberus*, *Scylla*, *Siren*, &c. 2. *Nobile*; cujusmodi non est *Calceus*, *Dolium*, *Scopa*. 3. *Admirabile* proprietatibus; cujusmodi *Bombyx*, *Apis*, *Magnes*. 4. *Repræsentabile* Scalpro, & Colore; cujusmodi non est *Cicindèla*. 5. *Unicum*, *& simplex*; vel, si plura, faciant unum ratione finis: cujusmodi tria illa *Horologia* Roratum, Sciatericum, Arenarium, Academiæ Concordium, cum lemmate, *Tendimus unà*. 6. Corpus *Humanum* excluditur; quia inter Hominem, & Hominem nulla intercedit Similitudo; sed idem ipse est: præterea Homo ipse debet esse repræsentatus, non repræsentans. Non tamen excluditur Pars, modò nobilior, Hominis; ut, *Oculus*, *Auris*, *Cor*. 7. In Clypeo nulla debent esse Parerga, h. Ornamenta, Arborum, montium, maris &c. Color verò Clypei vergat potiùs in Album, quàm in Cæruleum; qui Clypei propriùs non est.

II. *Anima* Phrenoschematis, h. Conceptus mentis, sit 1. *Heroica*, utpote primitùs ab Heroibus, & ad Heroicum quid significandum inventa. 2. ne sit *Dogmatica*, h. per modum Documenti generalis [hoc enim Emblematis proprium] sed Demonstrativa rei Singularis 3. sit *Unica* unico respondens Corpori.

III. Lemma, seu Dictum: 1. non debet directè significare conceptum mentis, sed corpus: ideò in tertia persona efferendum: est enim improprium, rem ratione carentem loqui de se ipsa. 2. sit *Breve*, in quo nihil redundet: hinc improbatur illud de Mari sub Sole, *Nunquam siccabitur æstu*: satis enim fuerat, *Nunquam siccabitur*. 3. Perfectissimum habetur, si tribus constet vocibus; utpote magis numericum, & harmonicum. 4. Nihil eorum, quæ in Disco viden-

dentur, appellet: quarè vitiosum est illud de Caprifico rupem frangente, *Ingentia marmora rumpit*. Hinc reijciuntur particulæ demonstrativæ; ut illud de Stella Veneris: *Hac monstrante viam*. 5. sit *Æquivocum*, vel saltem *Analogum*; quale illud de Henrico II. Luna crescens cum lemmate, *Donec totum impleat orbem*: *Orbis* enim tum Lunæ girum, tum Mundum significat. 6. sit Classici Auctoris: est enim Viri eruditi, ac ingeniosi transferre celebre dictum ab una re ad aliam. 7. sit *Hemistichium*; præsertim finale: hoc siquidem sonat concinnius. 8. *Antithesin* contineat; ut illud de Phœnice, *Perit, ut vivat*: & de Microscopio, *Maximus in minimis*: præsertim ubi sit *Isocòlon*: ut illud de Metis, *Nec citra, nec ultra*; & de Sole inter Nubes, *Et latet, & lucet*: vel ubi sit Paranomasia: ut illud de Vipera, *Dum parit, perit*,

EPIMETRON DE ALIJS SYMBOLIS.

1. *Emblema* (h. Vermiculatum opus) est Figura, præsertim humana, ex Fabula, vel Historia, vel Natura, vel Arte, cum explicatione continente monita, & documenta universalia e. g. si *Proserpina*, dum flores legit, vel *Europa*, dum ludit, Raptum figures, cũ Monito *Sępe inter lusus, & delicias Pericula reperiri*.
2. *Hieroglyphicum* (h. Sacra Sculptura) sunt Arcanæ notæ vel Animalium, vel aliarum rerum; ad mores, vel res Mysticas exprimendas: e. g. *Serpens caudam mordens* ad exprimendam Æternitatem. Hæc ab Ægyptijs inventa, quibus utebantur pro literis ad Sapientiæ Mysteria suboscurè notanda, ut Indoctos laterent.
3. *Ænigma* (h. Involucrum) est obscura Allegoria [de quo Par. 1. dictum est] ut, *Mater me genuit*; *eadem mox gignitur ex me*; h. Aqua in Glaciem conversa, iterum e Glacie effluens.
4. *Logogryphus* (h. Ænigma Nominis) ut, Sit mihi quantus Amor, disce hinc: tibi Corniculatam do Lunam, Solem do, Rabiemque Canis. (h. COR).
5. *Numismata* sunt Metalla, quorum altera facies exprimit effigies illustrium Virorum, altera eorum præclarè gesta.

6. *Scy-*

6. *Scytale Laconica* [notæ secretiores, vul. *Cifra*] h. Surculi duo loro circunligati, in quo Lacedæmonij literas ad Duces scribebant; quo resoluto literæ mutilæ remanebant. Similis Sera illa teres literatis anulis compactilis (vul. *Lucchetto*).

CAPUT IX.

Nonnulla ad Rem Poeticam spectantia.

POetica quædam sunt, quæ ignorare Rhetoricæ Candidatum, turpe videatur; sepositum ideò ijsdem caput, ceu Mantissam, adijcimus.

§. I.

Pedum Nomenclatio.

I. PEdes dissyllabi. *Spondeus*, ll. ut Mores: *Pyrrhichius*, bb. ut Amor: *Choreus*, sive *Trochæus*, lb. ut Roma: *Iambus*, bl. ut Amant.

II. Pedes trissyllabi. *Dactylus*, lbb. ut Candida: *Anapæstus*, bbl. ut Legerent: *Tribrachys*, bbb. ut Facilis: *Molossus*, lll. Vincebant: *Bacchius*, bll. Dolores: *Antibacchius*, llb. Maturus: *Creticus*, lbl. Maximos: *Amphibrachys*; blb. Cadebat.

III. Pedes tetrasyllabi, ex Dissyllabis compositi. *Dispondeus*, llll. Conturbabant: *Proceleusmaticus*, bbbb. Retulerat: *Dichoreus*, lblb. Civitate: *Dijambus*, blbl. Amaveras: *Choriambus*, lbbl. Nobilitas: *Antispastus*, bllb. Recusare: *Jonicus a maiori*, llbb. Cantabimus: *Jonicus a minori*, bbll. Pretiosos.

IV. Pæones. *Pæon* 1. lbbb. Temporibus: *Pæon* 2. blbb. Amabile: *Pæon* 3. bblb. Speciosus: *Pæon* 4. bbbl. Calamitas: [Orationi aptissimi.]

V. Epitriti. *Epitritus* 1. blll. Repentinos: *Epitritus* 2. lbll. Conditores: *Epitritus* 3. llbl. Clamaverant: *Epitritus* 4. lllb. Fortunatus.

VI. Dò-

VI. Dochimus, bllbl. ut Reipublicæ, Perhorrescerent.] qui maximè orationi inservit.]

§. II.

Cæsuræ.

I. VErsus omnes, præter Anapæsticos, Adonios, aliosve admodum paucos, sunt intercidendi cæsuris: Examеter sanè, ijs reiectis, atq; Pentameter, inepti, insubidique sunt.

II. Cæsura est *Syllaba, quæ ex Dictione caditur, atque ex pede redundat*. Huius tanta vis est, ut brevem Syllabam interdum producat; ut, *Omnia vincit Amor: & nos cedamus Amori*.

III. Prima Cæsura est *Tritemìmeris* (h. Semiternaria) constans uno pede, & syllaba, quæ dictionem claudat: ut illa Virg. *Magnanimi* Jovis ingratum ascendère cubile.

IV. 2. *Pentemìmeris* (h. Semiquinaria) duobus constans pedibus, & syllaba: *Arma virumque cano*.

V. 3. *Hephthemìmeris* (h. Semiseptenaria) tribus constans pedibus, & syllaba: *Multa super Priamo rogitans*.

VI. 4. *Trochaica*, habens post duos pedes Trochæum: *Infandum Regina*.

VII. 5. *Tetrapòdia* [h. quatuor constans pedibus] sive *Bucolica*; quòd propria sit Bucolici Carminis: fitque, si Hephthemimeri addatur Pyrrhichius; ut, *Nanque erit ille mihi semper Deus*. In qua si sensus terminetur, multò erit elegantissima.

VIII. Versus examеter vel una, vel pluribus, usque ad quatuor simul constare potest: ut, *Insideat quantus miserâ Deus*: omnibus simul non potest.

IX. Sola *Tritemìmeris* rarissima.



§. III.

Metaplasmus, sive Figuræ Poeticæ.

I. **M**Etaplasmus est *Transmutatio sermonis;* cum aliquid præter communem usum mutatur; idque vel necessitatis, vel ornatus gratia. Itaque quod in soluta oratione Barbarismus esset, in Carmine dicitur *Metaplasmus*. Alij autem fiunt in principio dictionis, alij in medio, alij in fine, alij denique indiscriminatim.

II. In principio. 1. *Prothesis*, seu *Prosthesis*, cùm additur syllaba, vel litera: ut, *Ingredior*, pro *Gradior*: *Gnatus* pro *Natus*: *Gnarus* pro *Narus* (vox obsoleta Peritum significans; a quo Narro, & Narratio) 2. *Aphæresis*, cùm detrahitur: ut *Ruo* pro *Eruo*; *Temno* pro *Contemno*.

III. In medio. 1. *Epènthesis*, sive *Epèctasis* [h. Porrectio] cùm additur: ut *Relligio* pro *Religio*: *Alituum* pro *Alitum*: *Mavors* pro *Mars*: *Induperator* pro *Imperator*. &c.

2. *Syncope*, cùm detrahitur; ut *Periclum* pro *Periculum*: *Accestis* pro *Accessistis*. &c.

3. *Tmesis* [h. Sectio vocis compositæ]. ut *Hac - trojana - tenus*: *septem* - subiecta - *trioni* &c.

IV. In fine. 1. *Paragòge*, seu *Proparalexis*, cùm additur: ut *Dicier* pro *Dici*. 2. *Apòcope*; cùm detrahitur: ut, *Oti*, *Gaudi*, *Ingeni*, pro *Otij*, *Gaudij*, *Ingenij*, &c.

V. Indiscriminatim. 1. *Synalèphe*, cùm eliditur, vel absorbetur postrema vocalis, vel Diphthongus a vocali sequenti: ut, Conticuer*e* omnes, intenti*que* ora tenebant. Eliditur intèrdum & in fine versus a versu per vocalem incipiente: ut, Et spumas miscent argenti, vivaque sulphur*a*, Idæasq; Pices.

2. *Ecthlipsis*, cùm extrema litera M. unà cum præcedente vocali a vocali sequente interimitur: O curas homin*um*! o quant*um* est in rebus Inane! Interdum interimitur in fine versus, cùm versus sequens incipit per vocalem: Jamque iter emensi turres, ac tecta Latinor*um* Ardua cernebant.

3. *Antithesis* (h. literæ unius pro alia positio] ut, *Olli*, pro *Illi*.

Illi. *Here* pro *Heri*. 4. *Metathesis* (h. literarum transpositio) ut, *Thymbre*, pro *Thymber*. 5. *Synæresis*, sive *Episynalephe*, seu *Synecphonesis* [h. duarum syllabarum in unam contractio) ut, Hærent par*ie*tibus scalæ. Au*rea* composuit sponda. 6. *Crasis* (cùm expungitur una vocalis, & producitur syllaba) ut, *Biga*, pro *Bijuga*: *Cogo* pro *Coago*: *Plotius* pro *Plautius*. 7. *Diæresis*, seu *Dialysis*, seu *Dialyton* [h. unius syllabæ in duas resolutio] ut, *Aulai* pro *Aulæ*: *Silua* pro *Silva*: *Persoluisse* pro *Persolvisse*. 8. *Systole* (cum corripitur syllaba natura longa) ut, Fùlgere, Fèrvere, Pòtitur, Stèterunt, Dèderunt, Tùlerunt, &c. 9. *Diàstole*, sive *Ectasis* (cùm producitur syllaba natura brevis) ut, *Ita*liam fato profugus, &c. Et domus intactæ te tremit *A*rabiæ. 10. *Dialaphe* [cùm nec vocalis, nec diphthongus a sequenti vocali absorbetur] quæ tamen ad Licentiam potiùs poeticam pertinet; de qua jam.

§. IV.

Licentia Poetica.

I. MOnosyllaba brevia Græcorum more producta: ut Liminaq*ue*, Laurusque Dei &c. *Et* animam, & mentem, cum qua Dj nocte loquuntur. (*Juven. 6.*)

II. Syllaba brevis producta beneficio cæsuræ, post 1. 2. 3. 4. pedem; ut in his exemplis.

1. Pector*ibus* inhians spirantia consulit exta. Æn. 4.
2. Emicat Eurya*lus*, & munere victor Amici. Æn. 5.
3. Ostentans artem pari*ter*, arcumque sonantem. Æn. 5.
4. Muneribus tibi pampineo gravi*dus* Autumno. Virg.

III. Vocalis longa, & Diphthongus non elisa: Et succus pecor*i*, & lac subducitur agnis. Ante tibi E*oæ* Atlantides abscondantur. [Geor. 1.] Lamentis, gemituque, & fœmine*o* ululatu.

IV. Vocalis longa, & Dipthongus non elisæ, & correptæ. *Insulæ* Jonio in magno, quas dira Celeno [Æn. 3.] Victor apud rapidum Simoenta sub *Ilio* alto [Æn. 5.] Credimus? an *qui* amant, ipsi sibi somnia fingunt? (Ecl. 8.) Tu quo-

que, o Eurytion, vino, Centaure, peristi. (Proper. 2.)

§. V.

Patronymica.

PAtronymica sunt propriè Nomina a Patrum, Matrum, Avorum, Proavorum, nominibus formata; ut Filium, Filiam, Nepotes significent.

II. Formantur & a Fratribus, Regibus, Conditoribus Urbium, ab ipsis etiam Urbibus, Regionibus, Montibus, Fontibus, Fluvijs.

III. Masculina exeunt in *Des*: suntque primæ Declinationis: ut, *Alcides*, gen. *Alcidæ*, dat. *Alcidæ*, acc. *Alciden*, voc. *Alcide*, abl. *Alcide*. Quæ interdum declinantur ut *Poeta*, æ; ultima brevi in Nominativo, & Vocativo. Non ita Dardanio gavisus *Atrida* triumpho est. [Prop. l. 2. el. 11.] Aliquando tamen Vocativus more Dorico producitur, diciturque *Vocativus Doricus*: ut ille Pentameter Politiani: O *Everida*, quod maneat pretium: pro *Everide*. Sic illud Æn. 3. Conjugio, *Anchisa*, Veneris dignitate superbo. Olim enim pro *Anchises*, *Æneas*, declinabant *Anchisa*, æ: *Ænea* æ: tametsi; Emmanuel contendit, *Anchisa* in illo versu produci beneficio cæsuræ. Nota. Seneca in Troade, Act. 1. sc. 1. scripsit *Æacidis armis* pro *Æacida*; ut notat Jos. Scaliger.

IV. Nomina A. finita assumunt *des*: Æneas, *Æneades*: Ilia, *Iliades*. Interdum mutant A. in I. ut Philyra, *Philyrides*: interdnm assumunt I. ante A.: Amyntas, *Amyntiades*.

V. Nomina *Es* finita sumunt *Ades*: Hippotes *Hippotades*: interdum admittunt I. ante A. Anchises *Anchisiades*, Laertes, *Laertiades*.

VI. Nomina 2. Declin. *Us* finita in genit. assumunt *Des*. Æacus, Æaci, *Æacides* pen. corr., interdum producta: Belus *Belides*: Lycurgus, *Lycurgides*. Interdum sumunt A. ante *Des*. Battus *Battiades*; Menætius, *Menætiades*. Ab Japeto fit *Iapetides*, & *Iapetionides*, p. p.

VII. Genit. Nominum in *Eus* assumit *Des*, pen. prod. *contracto*

Ei in Diphthongum: Atreus, *Atrìdes*, Peleus *Pelìdes*.

VIII. Nomina 3. Declin. formant a Dat. addito *Des*: Agenor *Agenorides*; Actor *Actorides*. Nomina in *As*, gen. *Antis*, petunt I. ante A.. Abas *Abantiades*: Atlas *Atlantiades*. In *On* finita eodem modo. Laomedon *Laomedontiades*: Telamon *Telamoniades*. Scipio facit *Scipiades*.

IX. Fœminina exeunt in *As*, *Is*, *Ne*. Quæ in *As*, & *Is*, fiunt a Patronymicis Masculinis, ablato *De* Thaumantiades, *Thaumantias*: Phaetontiades, *Phaetontias*. Æolides *Æolis*, Tantalides *Tantalis*, Dardanides *Dardanis*. Quędam utroque modo: Atlantiades, *Atlantias*, & *Atlantis*, *dos*.

X. Cùm Masculina desinunt in *Eides*, ut *Æneides*, *Theseides*, Pattonymica Fœminina desinunt in *Eis* pen. prod. ut, *Ænèis*, *Thesèis*: interdum pen. corr. *Æneidos* vati grande fuisset opus. (Ov. 3. de Pon.)

XI. Quæ desinunt in *Ne*, fiunt a Gen. Masculini pen. prod. Neptuni *Neptunìne*, Nerei *Nerìne*. Quòd si Primigenium desinat in *Ios*, ut *Acrisios*, Patronymicum Fœmin. definit in *One* pen. prod. *Acrisione*. a qua Ovid. finxit Masculinum *Acrisioniades*.

CAPUT X.

Selecta Proverbia, Formulæ Proverbiales, Sententiæ &c.

I. CUm multum dignitatis, & Venerum tempestivus Proverbiorum usus Orationi conciliet, nonnulla huc seponenda putavi; queis, Tiro, *citra pulverem* (ut aiunt) *citraque sudorem* utare. Dixi *Tempestivus*: siquidem nimia frequentia gratiam omnem interimit.

II. Proverbium est *Commune omnium verbum*: sive, ut uberiùs definiam, est *Sermo rem manifestam obscuritate tegens*; *& ad vitæ rationem, utilitamque conducens*.

III. Primùm verò formulas quasdam præmitto, quibus Proverbia, si qua duriora, vel obscuriora occurrant, præmolliri

liri solent. Sunt autem quæ sequuntur.

IV. Ajunt. Ut ajunt. Quod ajunt Quomodo ajunt. Ut dicunt. Quod dicunt. Quod dicitur. Quod dici solet. Quod vulgò dicitur. Quemadmodum dicitur. Quod Græci dictitant. Quemadmodum vetusto verbo dicitur. Quod ait vetus Proverbium, paroemia, Adagium. Ut antiquum ait Dictum. Proverbium est. In Proverbio est. Veteri Proverbio. Ut Adagio dictum est. Ut dicimus Proverbio. Ut est in vetere Adagio. Ut vulgò dici consuevit. Ut habet Proverbium. Ut vulgò jactatum est. Ut vetus verbum usurpem. Quod vetus est verbum. Rectè dictum est. Verè hoc dicunt. Verè & eleganter dictum est. Iuxta vetus Adagium. Iuxta vulgò tritum sermonem. Non temerè dictum a Græcis illud. Res in Proverbium abijt, cessit. Scitè veteri Proverbio fertur. In vulgi fabulam abijt. In Proverbij, Parœmiæ, Adagij, consuetndinem, locum, vicem, usum, cessit. Proverbij locum, vicem habet, obtinuit. Tractum est in popularem sermonem. Unde vulgò jactatum est illud. Usu trita Parœmia est. Proverbio locum fecit. Proverbij vice dicitur. Proverbiali loco, joco, dicitur, dici solet. Proverbium increbuit. Res Proverbio increbuit. Hinc natum est tritum illud vetustate, vel sermone Proverbium. Assentior veteri, laudatoq; Proverbio. In hanc sententiam extat Veterum Proverbium. Itaque celebratnm illud emanavit. Vulgare illud omnibus usurpatum. Hoc vulgò circunfertur Adagium. Venit in Parœmiam. Haud prorsus abhorret a vulgato Proverbio. Manet & hodie vulgatus jocus. Sententia Proverbio celebris. Allusum ad Jocum veterem. Ut fert Parœmia. Hic locus est veteri Abagioni, Adagioni. Populari sermone tritum est illud, Proverbiali specie dictum est. Non abludit hinc illud. Veteris Proverbij admonitu. &c.

V. Quibus ad hunc ferè modum, sicubi res poscit, utendum. Omnem [*ut aiunt*] lapidem movet. Serviendum (*quod dicitur*) Scenæ. Oleum (*quod aiunt*) & operam perdidi. *Scitè veteri proverbio fertur*: Suam èt Capillus umbram habet. Non enim semper per Parenthesin efferuntur.

VI. Non omnia quæ hic ponuntur [ut ex titulo intelliges] aper-

apertè Proverbia sunt; sed maximam partem Proverbiales modi, quique ob usitatam translationem, vel præclaram sententiam similem colorem habent: qua in re neque tam religiosi sumus, sed paulò interdum laxiores; quatenus ex usu fore Discipulis existimavimus.

VII. Scio equidem fore, rectiorem ut ordinem in his requiras, farraginem culpes; obiicias, complura temerè acervari, plurima desiderari, nonnulla explicatione indigere: quorum tu omnium dabis fesso jam calamo, fatiscentique veniam; qui tibi hæc interim exhibet, die procedenti emendatiora, si Deo visum fuerit, exhibiturus.

Absurda. V. Labor inanis, Error.

NE in Tonstrinis quidem audiendum. In lente unguentum. Ornamentum in luto. Anulus aureus in naribus suis. In eburnea vagina plumbeus gladius. Putris silurus in quadra argentea. In herba luxuries. In Tragœdia Comicus. Pistillum exornatum. Anus, vel Camelus saltans. Exacta via viaticum. Calceus pede minor. Calcei Sicyonij (*pulchri, sed virum dedecentes*) Caliga Maximini (*Major vestigio hominis*) In pace leo, in bello lepus. Asinus ferens mysteria. Simia purpurata. Inter surculos capra (*Quos tondens perdit*) Hercules crocotòphoros (*muliebriter indutus: Crocòton delicata vestis genus*) Calvus comatus. Nihil ad fides, chordas, nervos, carmen, versum. Extra numerum, modumque. Currus bovem trahit. Cancer leporem capit. Vulpes bovem ducit. Aliorum medicus, ipse vulneribus scates. Te ip um non alens, canes alis. Asinum sub fræno currere doces. Meum mihi somnium narras. Cùm Syrus non sis, ne syrissa. Non e quovis ligno Mercùrius fingitur. Neque Cœlum, neque terram attingere. Eburneis rastris solum vertere. Aureis ligonibus terram foderè. Lucernam in meridie adhibere. Juxta fluvium puteum fodere. Mari aquam e fossa infundere. Feli Crocòton dare. Jungere vulpes aratro. Mulgere hircos. Bovem lepore venari. Extra chorum saltare. Extra cantum agere, dicere. De Scammate egredi [*Arena ubi athletæ luctantur*]. Ultra se-

pta transilire. Extra oleas ferri. (*h. extra stadium: quod olim oleis utrinque sepiebatur*). Per parietem loqui. Thersiti loricam Achillis, Infanti cothurnos Herculis induere. Delphinum silvis, fluctibus aprum appingere. Cupressum importunè pingere. [*Hor.*] Humano capiti cervicem equinam jungere [*Hor.*] Ranis vinum prȩministrare. Solem facibus juvare. Agninis *lactibus* alligare canem(h. *Intestinis*) Aratro jaculari. Sambucam Caloni aptare [*Instrumentum musicum*, *Militum servo*]. In tenebris saltare. Aliena facere. In lenticula fabulam narrare. Cani paleas, asino ossa dare. Fronti ocreas, tibiæ galeam applicare. Eodem collyrio omnibus mederi. Omissis fontibus rivulos consectari. Ebur atramento candefacere. Machinas post bellum afferre. Ad fractam citharam canere. Caminum dealbare. In toga personam saltantis inducere. Ollam exornare.

Accommodare se rebus. V. Occasio.

Admonitio V. Stimulare, Labor inanis.

AUrem vellere, pervellere, vellicare alicui. Latus fodere. Cubito ferire: e.g. Spes, Mors aurem vellit.&c. Frustra canere, seu chordas pulsare: Surdis canere: mortuo verba facere: vento, litori, parieti, lapidi, dormienti loqui: mortuum flagellare: lapidem verberare: sterilem fundum colere. &c. est *Incassum monere.*

Adscribere.

IN Album referre, adscribere, adsciscere. Aliquem autorare, decuriare, centuriare. In alios adlegere, cooptare. In tabulis, in Commentario conscribere, describere, perscribere. In aliorum numerum referre, censere, adscire.

Adverſitas. V. Fortuna, Malum.

Adulatio. V. Blanditiæ, Gula, Aſtutia.

GRæcula Adulatio. Aſſentationis poppyſma. Melle litus gladius. Mellitum venenum. Agathonia cantio [*ab Agathone Tibicine cantionum ſuavitate aures deliniente*]. Verniles blanditiæ. Herculana ſcabies (*ſuavit[illegible]titillans*). Mercenarium præconium. Simia, Vulpe, Gnathone adulantior. Python formoſus. Cauda blandiens. Benevolus trucidator. Venaticus moloſſus. In oſtio formoſus. Muſcarum abactor [*in Perſarum convivijs adbibitus*]. Paraſitus. Paraſitulus. Paraſitaſter. Doloſus palpo. Magis ipſe Phryx [*Phryges doloſi ſimulatores*]. Gloſſogàſtores(*ventriloqui: in Aſſentatores dictum*). Adulatore, & Amico non potes eodem uti. Palpari alicui, ſuppalpari, ſubblandiri, lenocinari, paraſitari, ſupparaſitari, obſecundare in loco. Fucum facere, palpum obtrudere, os ſublinere, os bellè, malè, peſſimè ſublinere, Oleum in auriculam ferre, inſtillare; tumidis ſermonibus utrem inflare; blandioris ſermonis ficto lenocinio imponere, illudere. Agathoniam cantilenam canere. Lethale mulſum inſtillare. Melle litum gladium offerre. Verbis caput demulcere. Verba coquinaria, vel byſſina loqui. Fraterculum ſe facere. Gnathoniſſare. Verborum illecebris, cupedijs, blanditia; mulſeis, unctis, melleis, cupidineis, conquinarijs, fucatis, viſcatis, ſirenæis, aurem juvantibus vocibus capere, delinire. Sibi placere, allubeſcere, blandiri, adblādiri, ſubblandiri, ſtolidè aſſentari. Se ſuſpicerè, admirari, magnificè circunſpicere. Magnificum, ſpecioſum ſibi videri. De re aliqua ſe multùm, perditè amare, ſibi gratulari, placere. Se ipſum ſine rivali, vel competitore, amare. Eſſe ſibi pulchrum, lautum, beatum. In Cœlo eſſe. Inanem de ſe cum voluptatis ſenſu opinionem concipere. Magnificè de ſe ſentire. V. Arrogantia.

Adum.

Adumbrare: V. Ruditas. *Æmulatio*: V Invidia. *Affabilitas*: V. Urbanitas. *Affirmare*: V. Jurare. *Ambitio*: V. Arrogantia, Excellentia.

Amicitia, *Amor*. V. Similitudo.

UNus Deus, & plures Amici. Nec multis, nec nullis amicus [*Hesiod.*] Ne cuivis dexteram porrigas. (*Pythag.*) Plures Orientem Solem adorant [*Plutar.*] Felicium multi cognati. Viri infortunati procul amici [*Arist.*] Amicitia Stabilium (*Arist. h. virtute parta* : *Quæ sola humanis in rebus stabilis est*). Fac nidum in una arbore. Amicorum omnia communia. (*Pyth.*) Quisquam ne repugnet Amico? [*Hom.*] Ames ut osurus; oderis, ut amaturus [*Solon.*] Ne quando amare incipias, quem odisse possis [*Cic.*] Mores Amici noveris, non oderis. Amantium iræ Amoris redintegratio est. (*Teren.*) Amicitia, quæ desinere potuit, nunquam vera fuit. (*Senec.*) Amicitia Æqualitas (*h. inter pares*) Similitudo Amicitiam conciliat. Graculus graculo assidet; Cicada cicadæ cara, formica formicæ; Accipiter placet accipitri. (*in deteriorem sensum*]. Non sunt amici, qui degunt procul. Ubi amici, ibi opes. Amicorum est, admonere mutuùm. Amicus Amico ægrotanti medicus. Amicus usque ad aras. Tempus Amicum arguit. Amicus certus in re incerta cernitur. Amicitias immortales esse oportet. Amicus non cogendus. Nemo sibi nascitur. Amicitia Ollæ, sive Ollaris (*h. propter commodum*). Amici mensæ, ollares, secundùm lotionem manuum. Modium salis comede, antequam ames. Herculeus Amicitiæ nodus. Amicissima Amicitia. Indissolubile fœdus. Prætextata Amicitia [*h. vetus, a parvulis*]. Solidissimo glutine ferruminata: in qua nullæ præstigiæ (*h. sincera*). Amicus lingua (*h. fictè*). Tantaleum poculum libare [*Amicitiam firmare*]. al. Tantali Philothesia. Amicitia dissiliens, consenescens, victa, evanida, elanguescens, obliterata, dissuta. Ad alicujus

cujus Amicitiam adrepere, perrepere, irrepere. Alicujus amicitiam venari, captare, &c.

Amicus. Alter Pylades, Orestes, Damon, Pythias. Animæ dimidium meæ. Suavissimum, amicissimum, jucundissimum Caput; dulce, & charum Latus; Cultor, & comes vitæ. In ære meo est, in Albo meo. Sacro Amicitiæ jure, nexu, vinculo, fœdere mihi devinctus, obstrictus, arctissimo Necessitudinis vinculo innexus, tenaci quodam Amicitiæ glutine copulatus; ex Albo Amicorum non expungendus.

Amor. *Amare*. Amor Musicam docet (*Plutar. h. Artium, & omnis elegantiæ magister*). Ex aspectu nascitur. Aureæ compedes. Amor fit irà jucundior. Injuria solvit amorem. Oculis, in oculis, in sinu ferre. In amoribus, in delicijs, in antiquis habere. Ex unguibus amare (*ab ineunte ætate*). Sibi aliquem delicias esse. In oculis esse (*Amari*). Unicè, mactè, flictim, efflictim amare [*vehementer*]. Perditè, miserè, insanè, stolidè amare, deamare, deperire. In alicujus amore, medullis, intimis sensibus hærere. Medullitus, ex intimo sensu diligere. Alicujus amore deperire, spirare. In aliquem se suavissimè effundere, profundere. Oculis carior, Oculissimus[*Amatissimus*]. Ebrius amore ocellus (*Catul.*) Sub artus flamma dimanat (*Catul.*) Amor permadefecit cor [*Plaut.*]

Anceps res, *Angustiæ*. V. Discrimen, Difficile.

INter Saxum, & Altare. Inter Sacrum, & Saxum. Inter cæsa, & porrecta [*Cic.*] Inter malleum, & incudem. Inter has, vel illas nassas incidere. In extrema tegula stare. In acie novaculæ stare. Assem Elephanto porrigere. Auribus lupum tenere. Cum cane pugnare. Hàc urget lupus, hàc canis angit. Aleam jacere. Quid primum, quid ultimum, ignorare. In trivio esse. Arctum anulum gestare. In vado, in luto, in salebra hærere. De filo, vel de pilo pendere. Caput scabere. Unguem arrodere. Diapo-

poresin pati. Unica filia duos parare generos. In puteo constrictus. Mihi aqua hæret. Tanquam mus in pice. A fronte præcipitium, a tergo lupi: Pallet, uti nudis pressit qui calcibus anguem, aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram. [*Iuven.*] Tanquam Protagoræ sophisma dissoluturus (*v. ap. Manut.*) Volens nolente animo. Labyrintho implexus sine filo hæret. Aut mortuus est, aut literas docet [*In Athenien. a siculis victos*]. Delphicus gladius (*Sacris victimis, & reorum supplicijs serviens*). Aut quinque bibe, aut tria, aut ne quatuor (*Athenæus: quòd hic numerus ominosus*]. Aut flos, aut cucurbita. Testudinis carnes aut edas (*liberaliter*) aut non edas (*nam parcè sumpta nocent*). Obnoxiares [*incerta, dubia*].

Applausus, Approbatio. V. Dignus, Exaggerare, Excellentia.

Audire magnum, vel grande Sophòs! Omne punctum ferre. Omnium calculis approbari. Grata omnium admurmuratione excipi. Digitum ad hoc attollunt omnes. Magno assensu approbari. Pollicem premere alicui: Digitum tollere, attollere. Candidum, album, niveum calculum, lapillum addere, adijcere, subijcere, apponere. Pedibus alicui in sententiam ire; in alicujus placita ire, discedere. Creta, vel Cressa notare aliquid. Utroque pollice probare, approbare, laudare. Suo suffragio, calculo, lapillo probare, ratum habere. Alicujus sententiæ se subscribere, adstipulari. Rei alicujus auctorem accedere. Momo judice rectum est. Res recto talo persistit. Firmum esse, quod actum est.

Euge! Eugepæ! Sophòs! Jo! bis Jo! Jo Pæan! Jo triumphe! Mactè! Papæ! Bellè! Beatè! Decenter! Effatè! Effectè! Basilicè! Factum bene! O fortuna! O fors fortuna! Superi bene, quòd &c. Macte virtute tua! Macte virtutis eximiæ! I pede fausto! I bone, quò tua te virtus vocat! Evenère! &c.



Aptus.

Aptus. V.Occasio. *Argumentum.* V.Disputatio.

Arrogantia. V. Audacia, Severitas.

SUperciliosus sermo. Mus in farina exultans. Pauper cornua sumens. Gallus in sterquilinio ferox. Jovis Sandalium (*h. crepida Jove digna*). Sapientum Octavus. Ipse dixit. Tertius e Cœlo Cato. Narrat Ulysses, quæ sine teste gerit. E Tibicina, & folle. Thrasonico tumefactus spiritu. Tragicus Cothurnus. Argivum fert clypeum. Argivum extulit gladium. Pisandri galea, vel supercilium [*qui statura, & armis terribilis, cetera meticulosus*] Delphinum patina non capit. (*Ita Rhetor Amphicrates ad Tigranis aulam invitatus*). Cænei hasta (*Lapitharum Regis invulnerabilis; per cuius hastam iurabant*). Calliphanes [*qui initia librorum didicerat, cetera ignarus*]. Salmoneus alter. Suffenus, vel Mævius alter (*Inepti poetæ, sed iactabundi*). Est sibi Suffenus. Sybaritæ per plateas (*homines molles, & superbi*). Gigantum Soboles. Bullatæ nugæ. Mira de lente (*loqueris. Prov. gr. quoties res humilis magnificè attollitur*]. Cicadis plenus (*quæ olim Insigne Nobilitatis*). Hic Rhodus, hic salta (*In saltatorem jactabundum*). Peleus sibi placet in Machæra (*Vulcani dono*). Tuo te pede metire. Vultu contumax. Præ fastu vultuosus. Campana superbia. Altiùs Oromedonte consurgens. Briareus, aliàs Lepus. Uter fastu plenus. Tanquam tragicus Rex. Atticus in portum venit. Æsopicus graculus. Panaria ebrietas. Ebrietas absque vino. [*ita Plutarc. Tonstrinas vocat, ubi temerè effutitur quidquid in buccam venit*]. Homo Bombylius [*Fucus strepens sine mellificio*]. Pavonis flabellum. Generosus ex crumena (*ex opibus non ex nobilitate*). Est sibi ipsissimus. Sibi favet, blanditur, placet. Sibi pulcher, lautus, beatus. Colophonum arrogantia. Sine rivali te ipsum amas, sine competitore. Jovi paria intonans. Arrogantior Darete (*Æn. 5.*) Elatior gigantibus. Fastosior Sybarita. Gloriosior Thrasone. Herostrato ambitiosior. Ubi uber, ibi tuber. V. Adulatio.

Ani-

Animos ſuſtollere. Supercilium contumaciùs attollere. Criſtas ſurrigere. Altum, magnum, tragicum ſentire, ſpirare. Altiores ſpiritus præferre. Tragicè, ſublimè loqui. Tanquam e ſublimi aliquem deridere. Ferociùs ſe gerere. Super peram paſtoritiam ſapere. Pennas nido majores extendere. Cornua tollere. Cœlum armis territare. Junonium ingredi. Summis unguibus incedere. Cœlum digito attingere. Magnificè ſe inferre. Ex uno multa facere. Arcem e cloaca facere. Ampullas loqui. Thraſonicè loqui. Grandia de ſe loqui Merum Thraſonem ore ac geſtu præferre. Buccis ſonantibus, inflatis, crepare aliquid. Cornicis naturam induere. Leonis exuvium induere. Laureolam in muſtaceo quærere. In Sympulo (*calice fictili*) fluctus excitare. Plus aloes, quàm mellis habere. Deſpuere oculo aliquid.

Aſperitas morum. V. Rigor.

Aſſiduitas. *Aſſuetudo*. V. Perſeverantia, Diligentia.

GUtta cavat lapidem, non vi, ſed ſæpe cadendo. Fabricando fabri fiunt. Dicendo dicere diſcitur. Studium generat ſtudium. Taurum tollet, qui vitulum ſuſtulit [*ut Milo Crotoniates*]. Velut umbra ſequi. Saxum volutum non obducitur muſco. Multis ictibus deijcitur quercus. *Contra*. Deflexit jam de ſpatio, curriculoque conſuetudo majorum [*Cic.*] Ab Aula receſſit [*de re iam deſueta*].

Aſtutia. *Fraus*. V. Prudentia. Simulatio.

QUò non pervenit Leonina pellis, Vulpina aſſuenda. [h. *ubi ius non valet, fraus adhibenda*]. Vulpinari. Annoſa vulpes, vel ſimia non capitur laqueo. Cuniculis graſ-

grassari. Technas, sycophantias concenturiare. Consarcinare dolos. Omnes strropharum arculas excutere. Una fidelia duos parietes dealbare. Geminas chordas tangere. Pallio Philosophico militarem addere baltheum. Locrense pactum scire [*Locrenses fœdere prodito, quod ap. Peloponnesios inierant, ad Heraclidarum partes defecere*]. Thracium commentum (*Thraces pactis aliquot dierum inducijs cum Bœotijs, nihilominus noctu incursiones agebant, illud hostibus subijcientes, pactum esse de diebus, non de noctibus*). Vir duplex. Versutum pectus. Versipellis, bilinguis, recoctus, instructus arte Pelasga; Veterator, artificiosè versatus, animo excubans, ingeniosus, emunctus, affabre, basilicè ornatus ad omnem fraudem, Libyca fera. Lepus dormiens [*oculis vigilantibus*]. Non oblitus sui Ulysses. Alter Sinon. Vertunus alter. Sycophanta. Cothurno versatilior. Trimma (*qui in re aliqua tritus*), Tragulam novit inijcere (*Teli vel Retis genus*). Habent hic foveam Ericij. Altera manu fert aquam, altera ignem; altera caput mulcet, altera ferit. Altera fert panē, altera lapidē [*Plaut.*] Polypi mentē obtinet (*h. est moribus versatilibus: nam hic piscis, subinde colorem mutat*). Non ignorat, quid distent æra lupinis. Est Spartam nactus. Tacito pede ingreditur. Secum habitat. Janus alter. Acutior Chrysippo. Techna es. Megarica Sphinx. Octipes Cancer. Equus Trojanus (*tacita insidia*). Sportulam furunculus captans. Hic Corycæus est (*Insidiator*). Fucum facere. Dolum dolare. Os sublinere. Palpum obtrudere. Palpo percutere. Stratagemate percutere, ferire. Imponere alicui. Verba dare. Sublectare, subli nere blanditijs. Greca, Pelasga fide incedere. Pro thesauris carbones, pro lana pilos præbere. Technis, & captioso sermone ludificari. Pulverem in oculos alicui ambabus manibus spargere. Specie, obtentuque veritatis imponere alicui. Calidum, & frigidum ex eodem ore efflare. Punica fides. Vir Punicæ, lubricæ, dubiæ, sublestæ fidei. Fidei lubricus. Vir profluvia fide [*Cæcil.*] Consarcinator fraudum. Scelerum latebræ. Fraudum cubilia, vestigia. Ambages, & scelerum viæ. Sutèla [*callida Astutia*]. Fraudulentior Afro, vulpe. Græcia non novit fidem.

At-

Attentio. V. Diligentia.


AUres alicui dare, dedere, accommodare, adhibere, præbere. Vacuas aures afferre, arrigere. Aurem totam advertere. Ad alicujus vocem animum, aures admovere, adhibere, intendere. Aurem loquenti substringere. Manu admota sonum captare. Ab alicuius ore pendere. Porrecto iugulo, ut Captivus, audire. Purgatis auribus adstare. Auribus haurire, bibere, excipere. Dare operam alicui. Suspensis, arrectis, cupidis, secundis, pronis, æquis, purgatis, vel *poeticè* bibulis, votivis, vaporatis auribus captare. Aures pronas, &c. præbere. Animo, vel animis præsentem adesse. Mente non peregrina attendere. Aure, vel animo non peregrinari. Aures non peregrinantur. Mens peregrina non est. Favere auribus, animis, studijs, linguis. Aliquantò pensiùs intueri. Alicujus orationem devorare. Acerrima cogitatione animum in aliquid figere, defigere. Ceram auribus non obdere [ut Ulysses] vel obijcere.

Avaritia. V. Furtum, Paupertas, Divitiæ.

ARgenti sitis, fames, esuritio, gula. Animus in avaritiam præceps; Parcus, tenax, restrictus, cupidus, appetens; divitiarum effrænatè, immodicè, supra modum sitiens; ad divitias nimis incensus, inflammatus; congerendis opibus addictus, devotus; fædè tenax, sordidè parcus; Argenti tenax. Argenti amore pallens. Cupidus, & emax. Vir avido ingenio. Institor lucri, & furti. Illiberales, & sordidi quæstus. Insana sitis, imperiosa fames auri. Sæva cupido indomiti census. Acquirendi insatiabile votum. Vultur, Charybdis, Baratrum, Gurges, Vorago divitiarum. Gluto, helluo, ad quanlibet lucri spem exiliens. Scabies, & contagio lucri. Ærugo, & cura peculij animum imbuit. Hydrops pecuniæ. Æsculator,

Æru-

Æruscator nummularius. Æruscans [h. *undique pecuniam malis artibus colligens, corradens*). Lucrio [*qui lucra aucupatur*). Catillo, onis, Catillans (*catinos lingens*) Catillatio. Hirudo nummularia. Homo hiantè, imminente avaritia. Avaritià fervens, ardens. Avaritiæ infamià flagrans, laborans, aspersus. Avaritiæ notam sibi inurens. Avaritiæ nomine malè, vel pessimè audiens. Lucrum Pudori anteponens. Lucri pallida tabes. Quæstuosa calliditas. Felis Tartesia (*rapacissima*). Argivus fur (*ad furtum solers*). Canis circum intestina. Cumìni sector (*herba vilis*). Ficus dividens. Lavernio (*Fures sub Dea Lavernia tutela*). Dolium inexplebile. Voracior purpura. Natta sordidior. Euclione avarior. E Patrocli, vel Euclionis familia est. Lari sacrificat [*qui neminem invitat*]. Tenui Salillo, vel fæce victitans. Solus vescens. Sine Symbolo convescens. Glandibus vescens. Oleo fraudans lucernas. Rancido se inungens oleo, & ad lucernas relegato, addicto. Cochleæ vita. Pannosam fæcem sorbens morientis aceti [*Pers. h. vinum fugiens, vapidum*). Aliena bona liguriens. Mucida cærulei panis frusta consumens. A Mortuo tributum exigens. Ab ipsis statuis farinam posceret. Fabarum arrosor, fabis victitans. Plus verrens, quàm ferens. Tales sunt ejus sordes, ut nec ipsa unguium præsegmina ex eo expresseris. Argentanginà laborans. Clausis, retrusis thesauris, congestis sacculis incubans, indormiens. Aurum illi olet. Lucri apud eum bonus odor ex quacunque re. Famem, si utendam roges, non dederit, Salinum cum sale obsignans. Nescius uti compositis nummis [h. *collectis*]. A lethargo excitatur nummorum tinnitu. Mendici pera non impletur. Mendicorum loculi semper inanes. Parthi, quò plus biberint, plus sitiunt. Atticus moriens manum porrigit. Vorare hamum, ut piscis. Serpens, nisi serpentem edat, draco non fiet (*sic Potentes minores devorant*). Pecuniarum cupiditas spartam capiet. Ne Tagus quidem ipse possit explere.



Auctoritas. Auctor. V. Dignus, Veritas, Censor, Excellentia.

PRimæ notæ, ptimi subsellii auctor, scriptor. Non unus de plebe Doctorum. Non futilis, sordidus, plumbeus auctor. Tanquam in balneis primum locum occupans. Tanquam e Jovis tabulis testis. Atticus testis. Attica fides. Locuples Auctor. Dignus, cui vel iniurato fidem habeas. Credite hunc folium recitare Sibyllæ. Barbatum crede magistrum dicere [*Socratem*]. Ipse dixit (*de Pythagora*). Amphictyonum Consessus (gravissimorum in Græcia virorum) Censorium supercilium. Rhadamantæum habens Iudicium, Iusiurandum. Liberale testimonium. Tanquam Iovis, Iustitiæ, Minervæ suffragium. Ex Tripode loquens. Iurare in verba Magistri. Alicui rei, dicto, sententiæ pondus afferre, addere. Tanquam ex Tripode Delphico, Pythio, Clario, vel tanquam e Quercu Pelasga dictum, manans. Tanquam Folium Sibyllinum. E Cortina, ex Adyto Philosophiæ effatum proferre. Ex arbore Dodonæa. Socraticum, vel Socraticè dictum.

Contra. Unus de plebe Doctorum. Futilis, sordidus, plumbeus, ficulnus, nullius notæ, vel nominis Auctor. Proletarius, vel infimi subsellij scriptor. Auctor maleferiatus. Malesanus suffragator.

Pilam more Claudi tenere (h. *pendere ab alieno iudicio, alienæ nisi auctoritati; cui satis sit illud Ipse dixit. Claudus enim suis diffidens pedibus columnæ inhæret*).

Audacia. V. Impudentia, Arrogantia.

MArtis pullus. Alter Hercules, Turnus, Achilles. Animus Heptabæus [*velut Aiacis clypeus septemplici boum tergore obductus*]. Vir gladiatorio animo. In discrimine apparens, existens, eminens. Audens aliquid brevibus Gyaris, & carcere dignum. Ad audendum projectus. Vir projecta, prompta, Celtica audacia, supina temeritate.

Ulti-

Ultimæ, extremæ vir audaciæ. Vir animo præsenti. Animus in corpore præsens. Omnibus audendis paratissimus [*Vell. Pat.*] Os infrunitum. Frons exanguis, Gressu licenti incedens. Induens Domini supercilium. Audacior Icaro. Rubo arefacto præfractior. Pertinacior Excetrà [*Hydra*]. Thrasonismus. Alazonismus. (*Alazonia*, Arrogantia, Superbia:) Fragores, turbines, bombi. Novus Marsyas suas inflat tibias. Os frontem, animum, commasculare. Os importunissimum ostendere. Esse adamantinum, murum aheneum. Vultum confirmare. Ostrei in morem hærere. Mordicus, utraque manu, tenere aliquid. Supercilia extendere super nubes (*Julius Pollux*). Campanum, Palatinum, arduum, rubrum supercilium. Siloni-caperones(*ita venustissimè dicti ab Hegesandro Poeta*). Rubra supercilia tollere (*Catull.*)

Contra: Fastum deponere. Frontem, fasces submittere. Ponere supercilium. Ex leone leporem agere.

Augurium. V. Fortuna.

B*Onum*. Bonis avibus. Secunda, potiore alite. Niveis alitibus, Luciferis. Felicibus edita pennis Fortuna. (*Prop.*) Sidere fausto, amico, dextro. Amico Hercule, Apolline, Numine. Bono Genio. Luce bona. Marte secundo, Jove, Numine, Apolline, Castore dextro. Nostro Jove. Omine auspicato. Dextra Cornice. Dextro oscine Corvo. Urna felici. Æqua, famulante, arridente fortuna. Ventis, & Dijs, vel superis secundis. Ventis meis, tuis, suis. Felicibus astris. Tumidis velis, Aquilone secundo. Plenis Jovis omine velis. Parca meliore. Cretata die. Superis, hominibusque faventibus. Fato candidiore frui. Candido stamine vota. I pede fausto. Dijs orte bonis. Æqua favebit Avis. Deus ore sereno annuit. Et mea sincero curreret axe Rota[*Ov.*] Dexter erit Olympus. Omnia secunda. Dies albo signanda lapillo. Hoc bene sit. Quod faustum, felixque sit. Fortunent Superi. Amores sternutaverunt. Sternuit omen Amor (*Prop.*) Dextera sternuit approbatione.(*Cat.*)Superi faciles,& secundi,

Malum. Malis avibus, avibus finiſtris. Mala avi, alite. Lugubri alite. Numine lævo, irato, haud noſtro. Infauſto Sidere. Malo aſtro. Inimico Hercule. Inauſpicato omine, vel Bubone. Sole nigro. Deo, Genio, Superis, Fatis iratis, adverſis, averſis, finiſtris. Averſis ſuperis, & hominibus. Averſis Muſis. Apolline irato. Averſo fonte Sororum. Invitis canibus venari. Invitos plauſtro boves inducere. Invitis equis plauſtrum agere. Cum Dijs pugnare (*more gigantum*).

Auxilium. V.Patrocinium, Remedium.

NOn abſque Theſeo aliquid agere (*qui Meleagro adverſus aprum, Pirithoo adverſus tauros, Herculi adverſus Amazonas adſtitit*). Comite Hercule (*cum quo Theſeus ad Inferos tetendit*). Cum Minervà manum move. Sine cortice non natabitur. Unus vir, nullus vir. Multæ manus onus levius reddunt. Homo homini Deus. *Contra* Homo homini lupus. Frater viro adſit. Manus manum lavat, vel fricat (*Auxilium mutuum*). Digitus digitum abluit. Ferrum ferro acuitur. Aliquod ſtipendium rei alicui conferre [*Colum.*] Collativum præſtare favorem (h. *mutuum*. Macrob.] Enixiſſimè juvare. Alieno ferox præſidio. Anchora domus, &c. Tanquam Deus ex improvviſo apparens. Deo afflante, benefavente, præeunte, juvante, propitio, adſpirante, ſecundante. Superis adſpirantibus, obſecundantibus. &c. Anchora ſacra, Præſidium ſacrum (h. *ultimum remedium*). Robur adamantinum. Sacram Anchoram ſolvere. Movere talum, vel teſſeram a ſacra linea [*A vetere ludo dictum*]. Res ad Triarios redijt [*quæ tertia, & ultima, eademque fortiſſima Romanorum acies erat.*]. Vocatus, & non vocatus Deus aderit [*Oraculum Lacedæmonijs datum*].

Contra. Proprio Marte (h. *abſque auxilio*). Meis, tuis, ſuis auſpicijs. Sine canibus, & retibus. Copijs noſtris. Sine cortice nans. Noſtropte ingenio. Nullis adminiculis.

Ficulnum, vel Coriaceum auxilium [h. *infirmum*]. Lunæ radijs non matureſcit botrus.

Ma-

Manum auxiliariam, ſubſidiariam, præſidiariam alicui præbere. Præſentem adeſſe.

Baptiſmus. V.Religio. *Beneficium.* V.Liberalitas.

Bibacitas. V. Gula.

RAnarum more vivere [*ſemper in Humido*]. Abſque cibo vivere [*Ranarum more.* Athæneus]. Angina vini laborare. Cyathiſſare, Cothoniſſare [*cothon poculi genus*]. Parthi, quo plus bibunt, plus ſitiunt. Calicum remex. Quantum nèc Elephantus bibat. (*Athen.*) Hectorem imitaris: non recedis ab Ilio [*In Paraſitum olim dictum. Ilium autem & Urbs, & ventris inteſtinum dicitur*]. Multibibus. Bibacior ſpongia, hirudine, Thrace. Leontini ſemper juxta pocula. Aquilæ ſenecta [*qua, creſcente roſtro ſuperiore, non veſcitur, tantùm bibit: hinc Senes plus bibunt, quàm comedunt*]. Vinum potature, memento, te bibere ſanguinem terræ. Sapientia vino obumbratur (*Alex. omnium victor, a vino victus*). Vinum caret clavo (*Rectorem non patitur*) Pholus alter [*unus e Cētauris, in primis ebrioſus*]. Udus Aleator [*bene potus*]. In Combibonum Senatu facundus. Madidis cantat Soſtratus alis [*Poeta ebrioſus.* Juven.] Ingerere pocula, calices (*crebro potum affundere*). Tria e duobus videt [h. *Ebrius*], Solem geminum videt, & duplices Thebas. Illuſi pedes, corpus irriguum mero. Ore fœtido teterrimam popinam inhalare. Thaſium infundere (*vinum rarum, & praſtans*). Magna cellæ vinariæ clades: Cyathorum, amphorarum legiones, cohortes. &c. (*Vini copia*). Campanæ vitis temulentiam avidiſſimis gulis ſtrangulare, &c. Vinum diluere, aqua frangere, ejus furorem exarmare [*Temperare*].

Blanditiæ. V. Adulatio.

BLandimentum, Palpum, Poppyſma; Mulſea, mellea, mollia dicta; Melliti, blanditia illiti ſermones. Vox de-

demulcens, blandita, blandiloqua. Verba fucata, uncta, coquinaria, Circæa, Sirenæa. Lingua blanditijs mollibus illita. Retia subdola. Blanditiæ argutæ, lenes, cupidineæ, viscosæ, verniles (h. *serviles*, *adulatoria*). Oratio vinula, venustula. Verborum cupediæ, hami, Iynges, Philtra. Blandicijs, delicijs delinire, demulcere, inescare. Subblandiri alicui. Caput alicui demulcere. Capillos alicui lenta manu ducere. Movere officiosam manum. Concrepare digitis cani.

Bona. V. Fortuna, Utilitas.

BOnorum acervus, cumulus, Ilias, plaustra, Glomi, Myrmecia [*formicarum caverna*]. Thassus (*Insula fertilissima iuxta Thracas*). Dathus (*Urbs Thasiorum ditissima*). Gargara [*copiam significant*]. Copiæ cornu, Amaltheæ cornu. Hippodromica Bona (*quæ more celeris equi transeunt*. Chrysost.] Adventitia. Boni simulacra, umbræ.

Breviloquium.

CHilonius modus (*a Chilone Philos. suas sententias brevissimè complectente*). Pressior, circunscriptior, adductior. Laconismus. Laconicè dicere. Minore finire pomerio. Meta claudere. Cancello finire. Cancellis circunscribere. Obiter aliquid lustrare. Uno fasce multa complecti. Tribus verbis, tribus bolis; numero dicere. Summo digito, & quasi per indicem tangere [*strictim*, *Summatim*]. Breviter, & circuncisè dicere (*Macrob*.) Breviter, & congestè (h. *confuse*, *& sine ordine*. Jul. Capit.) Strictim, & per summum verticem attingere. Molli brachio, vel manu tractare. Brevi manu (*per compendium*, *vitato circuitu*) Summa sequar fastigia rerum. (Æn. 1.)

Cæcitas.

TAlpà, Tiresià, Hypseà cæcior (*illo vate*, *hoc muliere*). Leberide cæcior (*Serpentis exuvio*). Saturniæ, sive seniles

les lemæ [*Pellicula, vel humor oculorum*]. Tenebræ Cimmeriæ. In tenebris Cimmerijs agere. Lolio victitare. [*unde fluunt oculi*]. Ollas, vel cucurbitas lippire. Palpari in tenebris. Palpas de meridie (*Lippus oculus Solis radios non fert*). Pulverem ob oculos suffusum habere. Andabatarum more agere [*qui populi clausis oculis pugnabant*]. Oculorum, vel mentis aciem alicui perstringere, obtundere hebetare. Oculis caliginem offundere. Oculos alicui fodere, effodere, educere, elidere, excludere, exculpere, excutere, expilare, expungere. Expilare genis oculos [*Ov.*] Non parvo caput libavit haustu, vixque cupientes sequi eduxit oculos (*Senec.*)

Calamitas. V. Fortuna, Malum.

Calumnia. V. Maledicentia. *Canonizare.* V. Religio. *Capilli.* V. Ornatus. *Causa.* V. Principium.

Cedere.

HErbam dare alicui [*olim cursu victi. herbam ex eodem loco decerptam adversario porrigebant*]. Victam dare manum. Manus dare [e. g. *Veritati*]. Porrigere ad aliquem victam manum. Humeros, cervicem, fasces submittere. Arena cedere. Clypeum abijcere. Digitum tollere [*victi signum*] Cedendum multitudini. Plurium calculus vincit. Unus vir, nullus vir. Uni cum duobus non est pugnandum. Contra fluvium ne adnitàris [*more Cimbrorum*]. Ne Hercules quidem adversus duos. Ne formica contra leonem

Censor. *Censura*. V. Emendare, Justitia, Auctoritas, Severitas.

ALter Aristarchus. Tertius e Cœlo cecidit Cato. Sapientum octavus. Octavus accessit Sophus. Prodicus alter. Acerrimus numerorum Curator, Quæstor apicum, Ædilis vir-

virgularis. Aliorum Gnomon, & Regula. Amussis alba. Heraclius, vel Lydius lapis. Cujus nunquam delirat Amussis. Cujus pro Lydio lapide judicium est. Cui acutæ sunt nares. Vir emunctæ, emunctissimæ naris; tersæ, tersissimæ, abstersæ, lotæ, purgatæ auris. Lydio par lapidi. Lydium lapidem in oculis gerens. Cui cor, vel pectus sapit. Vir Aquilino, subadunco naso. Censorium graviſſimi viri judicium. Novit, quid album, quid nigrum. Censoria gravitate damnare aliquid. Acri subtilique ingenio, judicio percensere.

Certa res. V. Veritas. *Christianus*. V. Religio. *Cibi*. V. Cœna, Paupertas.

Clamor. V. Garrulitas.

STentorea vox. Stentore, vel Lauro clamosior: Laurus ardet. Columnas rumpat. Cœlo, ac terræ loqui. Apertis tibijs, diducto gutture clamitare. Usque ad ravim vociferari. Cyclabori voces [*fl. strepentis in Attica*]. Sarpedonum litus (*quod mare impetuosiùs verberat*). Claudiana tonitrua (*quæ Claudius Cæsar post Scenam finxit*). Abydena illatio [*ubi post convivium pueri, & mulieres admissæ*]. Septem Convivium, novem convicium (*Gell.*) Svilla harmonia. Clamore vincit Neadas [*Animantium genus quorum clamore terra dehiscit, Phocione teste, qui Samum ab incolis desertam propter Neadas, prodit*]. Syrbenæorum Chorus (*incompositus, dissonus*).

Cœna. V. Paupertas. *Cœnipetæ*. V. Gula, Adulatio.

SYracusanæ, Siculæ, Persicæ, Sybariticæ, Sicyoniæ, Saliares, Pontificales, vel Pontificum Mensæ, Cœnæ, dapes, convivia. Persicus apparatus. Cœna Dialis (h. *Jovis*) dubia [*ob copiam*] Adipalis, Adijcialis (*in qua dapes adyciun-*

ciuntur extra ordinẽ).Solis mensa(*quasi divinitùs data*).Deorum cibus, vel lac. Jovis lac, vel cerebrum. Nectaris flos. Medulla mellis. Helenæ cibus. Regis obsonium. Opiparè, Musicè vivere [Plaut. *voluptariam vitam agere*]. Coturnissare [*Coturnicibus vesci*]. In leporinis esse. Attica bellaria. Lydorum caricæ. Afra avis. &c. Obsodædalus, Magirus, Archimagirus. (*Cocus*).

Cognoscere. V. Noscere. *Commodum*. V. Bona, Fortuna, Utilitas.

Commodi proprij studium. V. Utilitas.

TUnica est pallio propior. Sura genu propius. Odi sapientem, qui sibi non sapit. Nequidquam sapit, qui sibi non sapit. Sibi canere. Sibi quisque amicus. Suum cuique pulchrum. Suam quisque rem meminit. Suo quisq; studio gaudet. Vicino favet, sed magis ollæ suæ. Sibi ipsi balneum ministrat. Manum suis rebus admovet. Intus canit, & sibi. Se ipsum decorat. Omnes sibi melius esse malunt, quàm alteri. Scilicet est cupidus studiorum quisq; suorum. (*Ov.*) Qua in re clarus quisque est, ad eam properat. Te ipsum inspice. Tibi dormio, mihi vigilo. Astutior Coccyge. (*quæ ova in alieno nido excludenda ponit*). Ipse licet venias Musis comitatus, Homere, si nihil attuleris, ibis, Homere, foras [*Ov.*] Turbata aqua anguillas captat [*Turbata Rep. suum commodum quærit*]. Veniat, qui proderit, hospes. &c.

Comparatio. V. Differentia.

NIl graculo cum Musis,cum fidibus. Nihil Sui cum Amaracino (*unguento suavissimo*). Nihil ad Parmenonis Suem [*qui suillam vocem mirè exprimebat*]. Asinus ad Lyram. Vespa Cicadæ obstrepit. Pica cum Luscina certat. Graculus inter Musas, Anser inter Olores. Thrasybùlo Dionysium similem facere. [Aristoph. *Thrasybùlus enim*

Rep.

Reip. ſtudioſus, Dionyſius Tyrannus). Canibus catulos componere, matribus agnos. Tibiam Tubæ, Corvum Luſciniæ, Apem Cicadæ, Teſtudinem Pegaſo, Aquilæ Noctuam, Cancros Lepori, Roſam Anemoni, Minervæ Felem, Culicem Elephanto, Formicam Camelo, Hinnulum Leoni, Fulicas Cygnis, & Aedona Pariæ conferre.

Complacere ſibi. V. Adulatio, Commodi &c.

Conatus. V. Difficile.

LAbor omnia vincit improbus. Conando Græci Troja potiti ſunt. Omni pede ſtandum (*Suid.*) Pro virili; velis, remiſque; Haſta, & ſcuto; Manibus, pedibuſque; Ambabus manibus; Omni pede; Omnibus unguiculis; Unguibus, & calcibus; Omnibus velis, vel carbaſis; Omnibus nervis; Omni telorum genere; Navibus, atque quadrigis, conari, contendere, eniti, adniti, laborare. Æquis, Veijſque pugnare. Omnes nervos contendere. Contento fune laborare. Summis uti velis, vel carbaſis. Omnem movere rudentem. Omnem movere lapidem (*Sic reſponſum ab oraculo cuidam quærenti theſaurum in agro: amotis lapidibus crevit ſeges: hic theſaurus*). Utranque manum ad opus aliquod adhibere. Omnes machinas adhibere. Omnes arculas excutere. Omnem jacere aleam. Utranque inflare tibiam. Sacram anchoram ſolvere. Sua ſacra commovere. Talum movere a ſacra linea; vel Sacræ lineæ calculum movere [h. *extrema tentamenta experiri*]. Perque enſes, perque ignes irrumpere. In pulvere, & ſole dimicare. Operoſæ contentionis palæſtram exhaurire.

Concordia. V. Diſcordia.

COncordià parvæ res creſcunt, Diſcordià maximæ dilabuntur (*Micipſa Numidarum Regis moribundi vox ad filios.* Saluſt.). Sciluri faſciculus (*Scytarum Regis; qui moriens filijs iaculorum faſciculum frangendum dedit: quod cum ne tentare*

qui-

quidem possent, singula eduxit, ac facilè fregit; illud adijciens, Concordes invictos fore). Canis caninam non est. (*deijs, quos inter maximè convenit*). Acum, & filum sumens rupturam consue. Pariter remum ducere. Doricè concinere. [*Dorica Harmonia maximè probata, utpote media inter Lydiam, & Phrygiam*].

Coniectura. V. Error.

EX ungue leonem, ex cauda vulpem, ex cantu avem, e culmo spicam, e vultu Æthiopem, e fimbria textum nosse. E fimbria de textu, de fructu arborem judicare. De gestu conijcere. De gustu cognoscere. De facie noscere. Ex fronte perspicere. Prima facie divinare. Tanquam cribro divinare, vaticinari (*olim vaticinia peragebantur Cribro suspenso, Lauro, & Tripode*). Rem acu tangere. Acu rem tetigisti. E pelle apparet. Falsò hariolari. Hariolando divinare. Scopum attingere [*sagaci coniectura rem deprehendere*]. Qualis vir, talis oratio.

Consideratio. Examinatio. V. Diligentia.

AD unguem aliquid explorare. Rem altiùs rimari, excutere, discutere, per otium expendere, ad calculos vocare, revocare, ad vivum resecare; æqua lance, trutina, tanquam auraria libellà, severiori trutina, suis momentis, ponderibus, justis ponderibus, suo momento, rationum momentis, æquà judicij lance, librare, pensare, pensitare, perpendere, expendere, æstimare, ponderare. Recte calculum ponere. Calculos movere. In quæstionem vocare. Cribrare aliquid, e. g. Factum, historiam. Penitiores rerum recessus rimari, perscrutari. Diligenter aliquid circunspicere. Pari pondere trutinare, trutinari. Secum rationes exigere. In utraque parte calculos ponere. Aliquantò pensiùs intueri. Se colligere, excutere, &c. Dextero pede aliquid concipere.

Con-

Consilium. V. Prudentia.

Consultor res sacra. [*Zenod.*] Consulendum, & consilijs parendum (*Homer.*) Consilium in arena [*in facto Gladiator capit*]. In nocte consilium (*maturandum*). Cosæ consilium (*salubre, a Cosa, viro sapientiss., quo neglecto Attici periere*). Consilij, & Cursus non idem exitus (*nam in cursu celeritas, in consilio cunctatio tutior*). Romanus sedendo vincit. Consilia inanium inania. Consilium improbi in extremum incidit malum. Consilium malum Cousultori pessimum. Quod dubites, ne feceris. Nunquam crateri lagenam imponas (*quasi exhausturus simul omnia*). Ad aliquem, tanquam ad Aram, Tripodem, Nestorem, Anchoram sacram, confugere. E cujus voce, velut è sacra Anchora, pendet populus. Consilio secundo uti. Calculum reducere, funem reducere, vertere, vertere vela, Palinodiam canere (*consilia in melius referre*). Lituram in decretis ducere [*consilium mutare*]. Consilium, Commentum, Commentatio (vulgò *Ripiego*).

Constantia. V. Perseverantia, Fortitudo, Patientia. *Consuetudo.* V. Assiduitas.

Contemptus. V. Nugæ, Ignobilitas.

Nihil ista curat Hippoclìdes [*Herodot. ex quodam facto*]. De hac re nihil laboro. Nullum apud me pondus habet. Nullius apud me momenti est. In pretio non est. Mihi istuc neque seritur, neque metitur. (*Plaut.*) Manum non verterim. Digitum non porrexerim. In hac re nihil est sacri. Susque, deque esse (*parvipendi*). Elephantus non capit mures. Aquila muscas non capit, cornicem negligit. Asinus complutus (*nihil eo commotus*): Asinus esuriens fustem negligit. Tanquam e sublimi aliquem deridere. Susque, deque habere aliquid. Contemptim deprimere. Nullo loco habere. Pro fungis aliquos habere. Depre-

preciare. Despuere oculo. Nostras preces cave despuas ocello. (*Catell ad Licin.*). nihil es sacri [*contemnendus es*]. Non habeo pensi.

Contradictio, Contraria. V. Oppositio. *Conversari.* V. Similitudo. *Convivium.* V. Cœna. *Credere.* V. Auctoritas. *Crimen.* V. Delictum. *Critice.* V. Censor.

Crudelitas. V. Pœna.

PHalarismus [*Phalaridis imitatio*]. Phalaridis Taurus, vel Imperium. Manlianum Imperium. [*Manlius, filium publici edicti transgressorem occidit*]. Nex marsyæ [*ab Apolline excoriati*]. Thyestæa cœna. Sicula Aula (*in qua Dionysius Tyrannus*). Busiridis ara [*in qua humanæ victimæ immolabantur*]. Antropophagi. Polyphemus alter. Neptuni filius. Crudelior Atreo, Phalaride. Cruentè aliquid agere [Iustin. h. *crudeliter*].

Currere. V. Festinare, Fugere, Conari.

Curiositas. V. Occulta.

NIhil dulcius, quàm omnia scire (*Prov. gr.*) Nihil inanius, quam plurima scire (*Athen.*) Canes venatici. Corycæus auscultavit (*Explorator olim dictus, ex Coryco Pamphiliæ monte insidijs opportuno*). Multæ Regum aures, & oculi (*Lucian.*) Omnia norunt fœminæ [*Theocr.*] Maleferiata curiositas. Orexin sollicitare alicuius rei [*curiositatem movere*]. Admoto capite auscultare. Nemo in se tentat descendere: sed præcedenti spectatur mantica tergo [*Pers.*]. Tecum habita, ut noris, quàm sit tibi curta supellex (*Pers.*). Sed uon videmus manticæ quod tergo est (*Catull.*). Quæ supra nos, nihil ad nos [*Socrat.*]. Lamiæ [*domi cæcutientes,*

tes, *foris oculata*]. Capra gladium [*pedibus scalpens effodit, quo mactata est*]. Rei alicuius videndæ, libri legendi salivam movere alicui. Effusissimo Studio spectare aliquid [Suet.].

Damnare. Improbare. V. Censura, Emendare, Derisio.

AD collariam, ad catastam, laqueum, crucem, flammas, damnare, addicere, deposcere, clamare. Nigrum Theta alicui præfigere. Nomen alicuius sectili Theta signare. [*Tristis litera Θ, quòd olim Damnationis Symbolum; sed* T. *salutaris, quòd symbolum Absolutionis*]. Nigrum calculum addere. Pollicem vertere, convertere alicui. Calculo mordere. Nigra cote, carbone, notare. Calculum detrahere. Ne Iupiter quidem omnibus placet.

Damnum. V. Malum. *Decipere*. V. Astutia. *Decipi*. V. Error. *Declarare*. V. Explicare.

Defensio, Excusatio. V. Patrocinium.

PRo aris & focis. Tanquam pro aris & focis pro aliqua re pugnare. Patrocinium debere alicui. Amoliri invidiam criminis. Niti adversus morsus invidiæ. Laconicas Lunas causari (*frivola excusatio*) Trecentas, mille causas colligere, fingere, comminisci. Ipsa olla olera legit. Ipsum ferrum virum attraxit.

Deformitas.

THersitis facies. Scarabæo nigrior. Deformior Thersite, Corytheo, Deformitate ipsa. Leporem non edit. Totus informis est, nec, quem velis tibi in tenebris occurrere. Homo inhonesta, illiberali facie. Insigniter deformis; ad deformitatem insignis. In eo corporis pravitates per-

perinsignes sunt. Nihil fœdius, perversius fingi potest.

Degenerare.

HEroum filij noxæ. E sapientibus plerunque stulti. Paternas haud canit cantiones (*Teren.*). Ab equis ad asinos transire. Troia non generat Thracem. Mandrabùli more res succedit. (*qui reperto thesauro, ex voto Iunoni quotannis offerendi, primò auream, altero argenteam, tertio aream dedit*).

Deliciæ. V. Luxus, Voluptas.


Delicta. V. Vitium, Pœna.

LArgiter peccare. Opus censorium facere. Tragicum scelus, & cunctis gravius cothurnis. Crimen nobile, patricium, splendidum, generosum. Generosa delicta. Scelus lemniscatum, vastum, funale (*suspendio dignum*). Palmare, palmarium, coronatum facinus. Facinus majoris abollæ. Virilis audaciæ facinus. Crimen robustioris improbitatis. Nefas ultimum (h. *Parricidium.* Sen.). Crimen nulla cæde expiandum: nullis Februis rite purgandum. Brevibus Gyaris, & carcere dignum. Fas, nefasque confundere.

Demissio. V. Audacia, Infamia, Mansuetudo, Modestia.

Deprehendi.

MEdius teneris. Folio ficulneo eras ligatus. In laqueos decidit lupus. Hydrus erat in dolio.



De-

Derisio. V. Risus, Contemptus.

NAso suspendere aliquem. Naso suspendere adunco, exterso. Naribus uti. Uncis naribus indulgere. Contrahere, contorquere, corrugare, crispare nares. Ingeminant tremulos naso crispante cachinnos [*Pers.*]. Nasus Atticus [*Satyricus*]. Rhonchis majoribus excipere. Postica illudere sanna. Postica, rugosa sanna uti in aliquem. Defixis procaciter oculis cachinnos tollere. Circumtondere comam alicui (*Stupidis risus gratia fieri solitum*). Fucum facere alicui. Quem multa Ciconia pinsit a tergo (*formatis ad rostri Ciconiæ speciem digitis illudere*. Pers.). Et manus auriculas imitatur mobilis albas [*Asininas*. Pers.]. Tentipellium, aut Strictipellam inducere [h. *rugas in ore extendere. Ita veteres Latini*]. Barbam illi vellunt infantes. Irridendi sui ansam dare, præbere. Se alijs irridendum propinare. Aliorum ludibrio, sannis, rhonchis, sibilis sese obiectare. Debere ludibrium alijs. Debere probum suæ famæ. Posticæ sannæ non occurere. Idoneum esse, quem ludos facias. Dare risum alijs. Risum de se tradere. De se risus dare. Esse, fieri risum, jocum, ludos: Esse joco, ludo, risui, irrisui alijs. Deridiculum in ridiculum esse. In ora aliorum abire. Per aliorum ora traduci. Palmari ludibrio traduci. Per urbem totam sermonibus, rumoribus differri. Digito monstrante notari. Pastoritia fistula dignus.

Desiderium. V. Votum.

Desperatio. V. Fortuna, Malum, Spes, Diffidentia.

ACtum est. Peracta res est. Occidi, Perij. Nullus sum. Perditus sum. Occisissimus sum. Absumpta salus. Ad restim res redijt. Suspendio est arbor deligenda. A scopulis in fluctus. A quinque scopulis lapsus est. Omnibus aris,

aris, præsidijsque destitutus. Collapsus animus, malè fractus, spe sua lapsus, orbatus. Et Clypeo simul, & galea nudatus & hasta [*Homer.*] Ad Charontis ianuam ductus. Vivens, vidensque perit. Rupta est Anchora. Cuius haud ultra mala exire possunt, in loco tuto est situs (*Sen.*) Una salus victis, nullam sperare salutem. Dicas tria e Curia. (*Damnatis tria dicere licuit ante supplicium, quæcunque libuit*). Spes abnuit, Occidit. Spes caduca, accisa, dehiscens, abscissa, rescissa, præclusa, interclusa, nutans, senesces, frustrata. Desperatissima spes.

Differentia. V. Comparatio, Oppositio.

NOn tam nox diei dissimilis. Bis per omnia (*differt*). Mysorum, atque Phrygum termini discreti sunt. Pastillos Rufinus olet, Gorgonius hircum [*Hor.*]. Novit, quid distent æra lupinis. Ex ore aurum, ex auro hominem proba. Corvus absente Graculo pulcher. A calvo ad calvum [*sine ullo discrimine. Ita Caligula reos puniturus*]. Differentiæ notas conquirere. Scrupularis differentia (*modicissima*). Vix pilus in medio est (*vix differt*). Non vulgare, ac translatitium discrimen. Quod intervallum sit interjectum, quanta distantia inter &c. Tam dispar Aquilæ Columba non est, & Dorcas rigido fugax Leoni [*Mart.*]

Difficile. V. Anceps, Discrimen, Impossibile.

DIfficilia, quæ pulchra. Non cuivis licet adire Corinthum [*ob portum periculosum*]. Res aleæ plena. Ancipitem ingredi aleam. Ire per extensum funem. Via salebris strata. Difficile est, vel Facilius est, simul flare, & sorbere. Negotiosam, & ancipitem, provinciam aggredi. Spissum, operosumque negotium. Opus operosum, laboriosum, spissumque. Spissi, operosique operis magnitudo.

Spissa, & negotiosissima provincia. Induere leonis exuvium (*supra vires negotium*). Quod Hercules decimum tertium laborem numeret. Magnum literarum onus, magna provincia Facilius est, Sibyllæ folia colligere. Priùs Clavam Herculi, Jovi fulmen, Homero carmen extorseris. Camelus discat citiùs Pyrrhichiam Cinesiæ (*Tripudium velox ab illo traditum*). Augiæ stabulum repurgare [*quod fecit Hercules*]. Mallem ediscere Teucrum Pacuvij [*Poema difficillimum*]. Ardua res homini mortali vincere Numen (*Hom.*). Inter duas sedere sellas. Bifariam saltare, pulsare. Phrygum, ac Mysorum fines definire, difficile [*propter bella hinc inde orta*]. Res inenodabilis. Nodus Hercule, vel Deo vindice dignus.

Diffidentia. V. Prudentia.

NE Mercurio quidem fidam. Timeo Danaos. Homo homini lupus. Quot servos, tot hostes alis. Non persuadebis, & si persuaseris (*Arist.*) Hostium munera. Simul accipe, cum das [*Arist.*]. Oculatæ manus sunt: credunt, cùm vident (*Plaut.*). Lydus ostium custodit [*furax*]. Syri adversus Phœnices (*utrique fallaces*) Tesseram confringere [*hospitalem, qua, quis fidem meretur*]. Mus non uni fidit antro. Timidè sum tibi credulus. Timeo fidem oculorum, aurium. (*Pet. Arb.*).

Dignus. V. Excellentia, Perfectio, Exaltare, Auctoritas.

IUpiter Aquilam elegit. Daphnis inter pastores. Primis dignus subsellijs. Vir Obelisco dignus. Dignus, qui stet aureus in Olympia. Dignus, propter quem vadimonium deseras. Dignus quicum in tenebris mices [h. *ludas digitis, numerum divinando*]. Dignus, cui & injurato credas. Dignus Argivo clypeo (*quo pueros triumphantes ornabant*). Quavis re dignus. Ambrosia alendus. Quem decet auro expendi. Cœli filius. De Cœlo lapsus. Quasi e Cœlo demis-

missus. Utranque facit, implet paginam. Tanquam Heros in clypeo exceptus. Alicujus æris Vir. In quo choro statuemus? Summo loco esse apud alios. Monstrari digito. Fama secundiore frui, uti.

Diligentia. V. Attentio, Assiduitas, Conatus, Negligentia, *Sapientia*, *Consideratio*, *Perfectio*.

DEmorsos res sapit ungues. Aristophanis, vel Cleanthis olet lucernam. Plus olei, quàm vini, consumere (*De Demosthene dictum*). Amussitata opera, ad amussim, examussim, amussim, ad unguem, ad libellam facta, dicta. Pensiculatè, examinatè, enucleatè, accuratè, definitèque scribere, dicere, facere. Exertissimè [Spartian. h. *graviter admodum*]. Scrupulosissimè (h. *anxiè*, *exquisitè*). Graphicè, ex pictura, ex perpendiculo agere. [h. *eleganter*, *pólitè*, *cogitatè*]. Ad Critolai libellam trutinare. Ad Cleanthis lucernam aliquid lucubrare. Lapides ad filum. (*Prov. Doricum*). In quadrum redigere. Nulla dies sine linea. (*Ita profecit Apelles*). Nescit manum de tabula [*Apellis dictum de Protogene*, *innuens*, *nimiam sæpe diligentiam nocere*]. Diligentiùs Spartam aliquam ornare. Metiri digitis. Quasi spiculis aliquid scrutari. Curiosè, haud incuriosè, observatè, aliquantò pensiùs aliquid tractare. Caput scabere. Pluteum cædere. Frontem ferire. Gallinaceus Buclionis. (Auson. *qui minimos pulvisculos diligentissimè discutiebat*). Non una manu capiendum. Non omnia per bovem obtinebis. Arator, nisi incurvus, prævaricatur. Somnus absit. (*Arist.*) Grus lapidem sustinens (*vigilandum*). Hoc manu faciendum (*cum industria*). Studium generat studium, ignavia ignaviam. Musas hortari ut canant [*de studiosis dictum*]. Ex optimorum Auctorum lectione rerum vindemiolas colligere. Sese penetrare in literas antiquiores, altiores [*Gell.*] Liberalibus studijs operari. Succisivis, subsecivis, furtivis, subsecundarijs horis, vel operis elaborare aliquid. Subseciva opera, &c. Literarum radices amaræ, fructus dulces.

Discere. V. Diligentia. *Discedere*. V. Fugere. *Discernere*. V. Differentia.

Discordia. V. Concordia.

DIssidij Pomum (*ut olim inter Deas*). Mappam mittere (*auspicanda in arena pugna signum*). Conditione tua non utar. Tuas tibi res habe(*Divortij formula*). Leonina Societas (*Ulp. cùm societas iniri non potest: ex Apologo Æsopi. Leo, Asinus, Vulpes, societatem inierant, ut quod venatu cepissent, id in commune partirentur. Asinus prædam æqualiter distribuit: Leo indignatus Asinum laniat; tum Vulpes totam fere Leoni attribuit. A Leone rogata, quis eam artem partiendi docuisset, respondit: Calamitas Asini.*)

Discrimen. V. Anceps, Securitas.

FLamma fumo proxima. Latet anguis in herba. Post folia cadunt arbores. Incedis per ignes suppositos cineri doloso (*Hor.*) Tum tua res agitur, paries cùm proximus ardet. Ne temerè Abydum, vel Corinthum [*ubi corrupti mores*]. De filo pendere[*ut gladius Dionysii super caput Damoclis*]. De meo capite aguntur Comitia. [*Plaut.*] Sub cultro hæret (*victima*). E nassa escam petit [*ut piscis*]. Rutà opus est (*herbà contra pestem*). Ne obversa fronte obnuas arieti(*qui tales facilè impetit*). Novacula in cotem incidit. In acie novaculæ stare. In eodem luto hæsitare. Eodem bibere poculo. In eadem esse navi. Pari fortuna uti. Ovem lupo committis. Maleam transiens domum oblivi- scere (*Promontorium Laconiæ nautis periculosum*). Fortiorem te vita. Longæ Regum manus. Res est in cardine. Jacta est alea. Vitæ alea. De fumo ad flammam. Ad Solem, & pulverem discriminum descendere. Discrimina deprecari. Periculosæ plenum opus aleæ. Ne puero gladium. Manubrium e manu eripere, eximere (Plaut. .h. *nocendi causam, occasionem, adimere*).

Dispu-

Disputatio. V. Rixosus.

GRadum, pedem conferre (*initium disputationis facere*). Cominus aggredi. Gradum figere [*argumentum premere, conceptam semel sententiam acriter defendere*]. De gradu recedere (*a sententia recedere*). In gradum redire [*ad propositum reverti*]. Eodem gradu occurrere [*eodem argumento obviam ire*]. Movere calculos [*rationes*]. In utraque parte calculos ponere [*rem discutere*]. Volsellis pugnare cum gladio (*infirma argumenta afferre*). Vinculis Hippocratis alligare (*fortissimis argumentis*). Subulà Leonem excipere (*levibus rationibus fortissima argumēta convellere.*) Argumentum Achillæum (*robustissimum*). Herculeus, adamantinus nodus, Hercule, vel Deo vindice dignus (*insolubilis*). Plumbeus gladius, pugio, argumentum stramineum (*infirmum*). Eversa, & profligata ratio. Plumbeo gladio jugulare. Malè materiatas machinas adhibere. In ipsum causę jugulum descendere. In agendis causis jugulum petere (*quod firmissimum causa est, invadere*). Disceptare de fumo, de Asini umbra, de lana caprina, de tribus capellis; de umbris, & chimæris digladiari, de stillicidijs, de Nihilo. [*de rebus futilibus disputare*]. Exuere castris Adversarium [*Convincere*].

Dissimilia. V. Differentia, Oppositio.
Dissimulatio. V. Simulatio.

Divitiæ.

CRæsi, Crassi, Midæ, Darij, Pygmalionis opes. Lysistrati, Cyniræ, Callicratis res. Arabum gazæ. Pythiæ, Pelopis, Zopyri, Tantali talenta. Attalicæ, Tantalicæ opes. Lydiæ arena. Crasso, Cræso, Arabis ditior. Crasso nummatior. Cujus in sinum Ganges, Tagus, Pactolus fluit. Pecuniæ vir (*Pindar.*) Tanti, quantum habeas, sis [*Hor.*] Noctuæ Lauriotica, Atticæ [*Laurios Attica*

regio, venis auri frequens, quod Noctuâ signabatur). Quantum non Milvus oberret, possidere. Vestis Virum facit. Mare amnium non indiget. Nescit quid faciat auro (*Plaut.*) Quantum rapuit Nero. Montibus aurum exæquare. Quantum sub Tatio populus Romanus arabat [*Iuven*]. Quantum ubique possunt duo oboli! [*Bocchi verba, postquam accepit ab Hercule duos obolos Charonti persolvendos.* Aristoph.]. Nummos modio metitur. [*Pet. Arb.*]. Res Amicos invenit (*Plaut.*) Tolosanum aurum possidere. Unctum caput (*pro Divite*). Unctior discessit [*muneribus locupletior*]. Elutum aurum [*purum putum*. Jul. cap.] Satietas ferociam parit. Ad scelus, atque nefas, quodcunque est, purpura ducit (*Iuv.*) Prima peregrinos obscœna pecunia mores intulit; & turpi fregerunt secula luxu Divitiæ molles. (*Iuv.*)

Doctrina. V. Literaria, Diligentia. *Dormire.* V. Somnus. *Dubitatio.* V. Anceps, Diffidens.

Ebrietas. V. Bibacitas. *Egregium opus.* V. Perfectio. *Electio.* V. Dignus.

Eloquentia. V. Literaria.

Attica Musa, lepos, favus, Mella. Nestoris Eloquium. Hymettia mella loqui. Nunc ipsa fluit Facundia. Atticis artibus madens. Cygnæa cantio. Nunc ipsa vivit Sapientia. Musarũ aves, Luscinia. Luscinię non deest cãtio. Callirhoè [*fons Athenien. pulchrè fluens*] - Mercurij, vel Herculis Gallici catena [*quâ fingitur, homines auro ex ore fluente, auribusque innexo traxisse*]. Incantatione quavis efficacior. Demosthenes Concionis, Forique Dominus. Fandi dulcissimus (*Gell.*) Incorruptè loqui (*purissimè.* Gell.)



Emen-

Emendatio. V. Cenſura.

AD unguem caſtigare. Incudi opus reddere. Opus refingere, recoquere, recudere; Cenſoriâ ſpongiâ eluere. Quod ſpongiam deletilem, limam, incudem expectat, poſtulat. In ſpongiam incumbere. Veru, verubus, ceraunio notare, prænotare. Triſti arundine, ungui rigido notare. Acu, obelo figere, jugulare. Ceraunium apponere. Tranſverſo calamo expungere. Exauctorare. Rubricà ſignare. Rubris ceris notare. Miniatulas ceras reformido. (Cic. *nam Atticus, quæ in Cic. minùs probabat, cera ſignabat rubra*). Lituras ducere. Imis ceris eradere. (delere. *Scribebant enim in tabellis cera illitis*). Limà mordere. Verba loco movere. Atrum tranſverſo calamo ſignum allinere. Cenſoriam virgam exercere. Cenſoria virga, virgula, animadverſione, notare. Stigmate caſtigare. Luxuriem verborum compeſcere. Luxuriantes Orationis pampinos amputare.

Error. V. Abſurda, Conjectura, Emendatio.

ESſe in aliqua hæreſi. In luce meridiana cæcutire. A lineis excidere. A via, inſtitutoq; aberrare. Toto cœlo aberrare. Procul a ſcopo aberrare. Errare in ſacris. Supinè allucinari. Supina allucinatione laborare. Supinæ allucinationis faſcino, faſcinatione impediri. Allucinationis faſcinũ averruncare (eſt *amovere errorem*). Falſis deludi imaginibus. De curru delabi, decidere. Brevi limite falli. Toto aberrare captu, corpore, ſcopo, aggere. Ab janua errare (h. *in principio*). In limine, de limine offendere. In limine deficere. In portu impingere. Cantherius in porta (h. *lapſus; ut accidit Sulpicio in provinciam ituro. Cantherius, equus exectus*). Toto erras Cœlo (*in eos dictum, qui inſtar Siderum diſcurrentium, nil ſibi conſtant, ſed claudicant in re explicanda*). Extra callem.

Error palmaris, decumanus. Tanquam clavus trabalis; vel clavis trabalibus dignus. Sphalma, Sophisma. Errorum agmina. Sophismatum plaustra. Mera monstra. Pro amphora urceus. (*Hor.*) Aliquid Lesbià regulà factum. Doctrina absurda, ex tabulis literarijs eliminanda. Stribiligo [*Imparilitas*, h. *Solœcismus*, ita ab Asinio Capitone, & ab alijs appellatus].

Evitare. V. Fugere, Odium.

Exaggerare, *Exaltare*. V. Dignus.

ELephantum ex musca facere, Arcem ex cloaca, ex Pygmæo Polyphemum. Pygmæum Colosso imponere. Aureum in Olympijs stare jubere. Aras alicui excitare. Deum facere aliquem. Lapidem e sepulchro venerari pro Deo. In sublime tollere, extollere, efferre, evehere, subvehere, excitare, &c. Ad eminentiam, & umbras quasi picturæ efferre. Laudes alicui congerere. (*Suet.*) Verborum phialæ, ampullæ, ampullantia, sesquipedalia, cubitalia, trabalia, plaustralia verba.

Examinare. V. Consideratio, Disputatio, Prudentia.

Excellentia. V. Comparatio, Dignus, Perfectio, Auctoritas.

PRimi subsellij Scriptor, Doctor. Primis dignus subsellijs. Primum quasi locum in balneis occupare. Alpha Pænulatorum. Cùm Aquila esse queas, inter graculos primas ne opta (*Nazian.*). Inter Athenienses probus [*rarum in malè morata urbe*. Plato]. Primas in re aliqua tenere. Principem locum obtinere. Prætoriam in aliqua re, e.g. in literis, sellam habere. Multis decempedis, multis parasangis

alios

alios præire, præcurrere, prævertere. Equis albis, vel albis Jovis quadrigis præcedere, præcurrere. Longissimis intervallis præterire, posthabere aliquem. Primas, secundas, tertias suffragio omnium, & judicio tenere. Roscius in scena [*princeps histrio*] Equis albis invectus. Lesbius cantor [*Terpander, qui Musicà Lacedæmonas discordes composuit*]. Nihil urbes aliæ ad Crotonem (*unde pugiles fortissimi prodiere*). Deo loquente homines tacent. Dei sermonem excipis. Hoc palmare, & eximium est.

Excusatio. V. Defensio. *Exercitatio*. V. Assiduitas, Perseverantia. *Exhortatio*. V. Admonitio.

Exilium. V. Fugere.

PAtrià excutere. E Civitate exturbare. Aqua, & igni interdicere.

Solum vertere. Coloniam commutare. Extorrem laribus exulare.

Expellere.

QUasi furcillis expellere aliquem. Cubito submovere. Hostem castris exuere. In hostium terga hærere. Signa fugienti inferre. Aliquem a se ablegare, excludere, abigere.

Experientia. V. Conatus, Prudentia, Sapientia.

OMnem move lapidem. Semper tibi pendeat hamus (*Ov.*) Et post malam segetem serendum est. Resp. virum docet. Tentantes ad Trojam pervenerunt Græci. Multum navigavit aquæ (*de eo, qui multarum rerum experientiam habet*. Aristoph.) Rerum prudentia non venit ante pilos (*Pers.*)


(*Perſ.*) Diſcipulus prioris poſterior dies. Diſcenti aſſiduè multa ſenecta venit (*Solon.*) Scitum eſt, periculum ex alijs facere, quod tibi ex uſu ſit. (*Ter.*) Ætas ſemper aliquid adportat novi (*Ter.*) Amor vires ſibi colligit uſu [*Ov.*] Solus, Artifices qui facit, uſus adeſt [*Ov.*] Peritus ad uſum. Primas jactare haſtas. Hac non ſucceſſit. alia ingrediemur via. [*Ter.*] Ætatem inter experimenta conſumere. [*Pet. Arb.*] Experimentum oculorum capere [*Pet. Arb.*] Loci imprudens ſum (*Pet. Arb.*) Res uſu incognita (*L. Fl.*) Experientia magiſtra cognoſcere. Uſu, & experientia diſcere, edoceri.

Explicare.

ENucleare. Nucleum rei aperire. Signa, notas, argumenta, indicia rei edere, prodere, præbere. Longiùs & voluens fatorum arcana movebo (*Æn.* 1.) Mentem, ſenſum Auctoris enucleare. Nodum difficultatis exolvere. Difficultatem enodare, evolvere, extricare, profligare.

Facile. V. Difficile.

REs prona, & prolixa. Citra negotium, pulverem, pulveris tactum, ſudorem, cruorem, ſementem, arationem. Ultro Deus hoc ſuppeditat. Dormienti Dij conficient [*Dormientibus piſcatoribus, piſces aliquando ultrò in retia inciderunt*]. Taurùm tollet, qui vitulum ſuſtulit (*ut Milo Crot.*) Aditum invenire (*ad effectum perducere*). Omnia ludibundus perficies [h. *nullo negotio.* Cic.] Pronum, & proclive eſt. Res facilis, & nugatoria [*I Lipſ.*] Non operoſa via eſt (*Prop.*) Invia Virtuti nulla eſt via [*Ovid.*] Difficultates omnes exorbere, profligare, enodare &c. Omni ſe turba rerum exolvere.



Fal-

Falsitas. V. Mendacium, Error, Veritas, Hypocrisis.

OMnia adulterata, præstigiorum plena. Res ad fabulas ablegandi, ad Æsopi fabulas, Apologos, & commenta Gigantomachiæ. Hæc tam vera sunt, quàm Lamiæ turres, & Pectines Solis. Tanquam Caput Gorgonis vera. Consutis dolis, ac verborum technis obtegere aliquid. Doctrinæ larvam induere. Suberatum aurum. Caracallæ nummi [*adulterini. Plumbum argentatum, & æs inauratum Senatoribus dabat*]. Tingere nummos [*adulterare*]. Alienum sumere vultum. Cibdèlà (*numismata oblasa*).

Fama. V. Dignus, Exaggerare. *Fames.* V. Paupertas. *Fastus.* V. Arrogantia.

Favor. V. Applausus, Patrocinium.

PRemere pollicem alicui. Pollicem vertere (*favorem denegare*). Dexter stat mihi, secundus, auspicatus. In meis castris, præsidijsque versatur [*mecum facit*]. Non infavorabilis sententia (*Cels.*).

Festinare. V. Fugere, Conari.

REmis, Remigio, velisque festinare. Dædali remigio, Jovis quadrigis properare. Solis, ac Jovis currum æquiparare. Talaria sumere, pedibus nectere. Navibus, atque quadrigis properare. In foribus adesse. Ut canis è Nilo [*qui crocodilorum metu fugiens bibit*]. Simul dictum, factumque. Aphya ad ignem [*pisciculus igne tacto statim coctus* [. Hemerodromos [*totius diei cursor, ut Sol*]. Quantum pedibus valet. Citiùs, quàm formica papaver, vel canis exta, devoret. Citiùs, quam coquantur asparagi. Celeriùs, quàm Butes pictus [*in porticu Stoa Athenien., cuius*

sum-

summa tantùm capitis pars cum oculis videbatur). Ocyor Accipitre. Velucior Pegaso. Salaminia Navis [*velocissima Plutarc. de Pericle*: se veluti Salaminiam triremem; ut inquit Critolaus, ad majorem rerum usum præbuit.] Festina lentè. Ante pilos sapit. Odi pueros præcoci sapientia. Uno die consenescis. Ergini canities(*quæ juveni obtigit*: h. *præpropera festinatio*).

Fides. V. Auctoritas, Dignus, Veritas, Astutia. *Finire*. V. Perfectio. *Fingere*. V.Falsitas, Hypocrisis, Simulatio, Mendacium, Astutia.

Fortitudo. V. Audacia, Patientia, Perseverantia.

ALter Hercules (*de Briareo dictum ab Oraculo Delphico*). Corpore Tydeus [*pusillus, sed fortis*] animo Hercules. Dentatus pugnans (*L.Licin.Dent.in 22.prælijs nullum vulnus aversum tulit*). Tanquam in Lipsydrio pugnans [*loco aquis cincto, ubi Tyranni Athenien.fortissimè se defenderunt*]. Atticus miles. Deorum filij invulnerabiles. Adamantinus, ferreus animus, altus,infragilis. Vir altè succinctus, præcinctus, cinctutus, paulò altiùs succinctus. Fortis, & in se ipso totus teres, atque rotundus [*Hor.*] Casus omnes provocans. Fortunæ, voluptatibus responsare paratus (h.*resistere*). Cote Cretica, vel Naxiaca durior. Animosè satis, & Stoica manu Fortunæ vulnera tractans. Murus aheneus. Murus Semiramidis (*pedes* 200. *altus*,50.*latus*). Mœnia ferrea. Achillea arma. Æginosum pectus [*Ægide sonans, loricatum*. Val. Flac.] Innoxius (h. *intrepidus*. Enn.) Aut vincendum, aut moriendum [*hoc animo Lacedæmones prælium inibant*]. Aut cum hoc, aut in hoc (*sic Lacæna mulier bellaturo filio scutum porrigens*). Solæ Lacænæ viros pariunt (*sic reposuit quædam obiectanti*: *Sola viris imperatis*). Leoninum intue-

intueri (h. *impavidè*). Omni pede ſtandum (h. *non cedendum*).

Contra: Fortes in tabula [*de Athenienſibus a Lacone quodam dictum: h. fictitia fortitudine*].

Fortuna.

V*Aria*. Ipſa Dies quandoque Parens, quandoque Noverca [*Heſiod.*] Nunc pluit, & claro nunc Jupiter æthere fulget. Si Fortuna volet, fies de Rhetore Conſul: ſi volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor [*Juv.*] Fortuna Euripus. Fors domina Campi (*Martij: ubi ex ſuffragijs honores deferebantur*). Cras Cerdo, hodie nihil. A Remo ad Tribunal. Ad priſtina præſepia. Inter manum, & mentum, inter os, & offam, inter calicem, & labra, multa intercidunt. Fortuna æſtuaria. Circulus res mortalis. Fortunæ Imperium. Multæ rotæ voluentur. Quanti caſus humana rotant! [*Sen.*] Me Fortuna rotat. (*Sen.*) Alea Fortunæ. Sortis variæ rota. Crede obſequenti parciùs: Levis eſt Dea. (*Sen.*) Computatorum digiti (*qui modò unum, modò myriades faciunt*). Dionyſius Corinthi (*pueros docet, modò Rex*). Non mutat Fortuna genus [*Hor.*] Fors rotam verſat, fidem mutat, conſtantiam dediſcit.

Proſpera. Fortunæ vultus benignior. Mollior aura. Fortunę dona ſecundę. Fortuna ſecundior. Fortunę candida vela. Bona avis. Virgula divina (*Mercurio ad omnia ſerviens*). Rex ſum. Superis par. Æqualis aſtris gradior. Fauſtis ſucceſſibus uti. Res recto talo perſiſtit. Laureum geſtans baculum [*adverſus fulmina*]. Gygis anulum, Plutonis galeam geſtans [*qua duo qui ferebant, occulti rebus ſuis providebant*]. Gallinę filius albę [*Auguſti in ſinum alba gallina cum lauro devolavit*]. Noctua volat [*victoria ſymbolum*] Fortunę filius, vel ſponſus (*ſic dictus Polycrates Rex*) Oculus mihi dexter ſalit (*Theocr.*). A dextris volat ales. Mihi ſupercilium ſalit (*Plaut.*) Capram cœleſtem orientem vidit (*hac viſa, Iovis nutrice, ſe votorum compotes fore, exiſtimabant*). Intonuit lęvùm (*bonum ap. veteres omen*). Bis ſex jacit [*qui iactus felix*]. Semper feliciter cadunt Jovis taxil-

catos una clade amisit]. Ne per somnium quidem felix. Est Mysorum pręda. Perditus, eradicatus, vèl hosti miserandus. Quęrens obsonium vestem perdidit (*ut furi accidit, veste comprehenso*). Invitos boves aratro subjit. Argicollem habitat [*locum frequentibus latrocinijs infamem*]. Ad summam lineam pervenit. Hydram secuit. Excubias egit in Naupacto [*ubi Achivi victores Pausaniam excubiarum præfectum interfecerunt*]. Fuimus Troes. Fuimus quondam fortes Milesii. Dulce Mori miseris (*Cor. Gall.*) Mersari fortunę fluctibus (*Catull.*) Data sunt vitę fila severa meę (*Ov.*) Scęva res (*mala, sinistra*) Fortuna cernuans, & allidens (*Sen.*) Fortunę pila [*sic Ælius Pertinax vocabatur.* Sex. Aur. vict.]

Fraus. V. Astutia. *Frugalitas*. V. Paupertas, Avaritia.

Fugere. V. Festinare, Conatus, Exilium, Odium.

VElis, remisque; velis, equisque; citis quadrigis; navibus, atque quadrigis; Jovis quadrigis; remigio, veloque fugere. Talaria induere, sumere, pedibus nectere, aptare. Utroque pede devolare. Cavum, volam pedis ostendere. Terga dare, prębere. Lina, hamos, laqueos effugere. Rimam reperire. Occiput ostendere. Convasare. Conclamare, colligere vasa. Anchoras tollere. Sarcinas colligere [*discedere*].

Furari. V. Avaritia.

FUrunculorum Alpha. Lavernio. Apertularius. Depeculator. Manu sinistra utens. Cui manus piceata. Autolycus alter. Compilator. Convasare [*furto omnia colligere*]. Qui rei alienæ amore uritur. Cervino halitu sorbere. Manticulator. Saccularius. Præmordens, præ-

ro-

rodens aliena. Resupinans domum [*susque deque vertens*]. Depectere, emungere marsupia. Briarei manus inijcere. Briareijs uti manibus. Ungues impingere. Vir trium literarum (*Fur.*) Prædam unguibus illigare, implicare. Infixis ungulis attinere. Immissis falculis inuncare. Exagòga Bonorum [*qui educit, & asportat foras. Plaut.*] Argicollem habitare (*locum latrociniis infamem*). Aquæ furtivæ dulciores.

Garrulitas. V. Clamor.

HIrundinum Musæa. Arabicus Tibìcen. Daulia Cornix. Architæ crepitaculum (*quod ultro in strepitum volvebatur*). Dodonæum æs, cymbalum, tintinnabulum (*tradit Zenodotus, duas in Dodona fuisse columnas, in altera pelvim aream, in altera pueri simulacrum flagellum areum tollentis: flante autem vento scuticam illam lebeti impactam sonitum ad multum temporis reddere*). Ære Dodonæo, caute, litore, turture loquacior. Cicada vocalior. Prolixior Iliade Os infræne. Rana Lemanica [*in paludibus Lemanicis coaxans*]. Glossargìa (*garrulitas*). Battologìa [*A Batto Pastore garrulo*]. Lingua quò vadis? Cornicari (*garrire ut cornix*). Tellenis cantilena [*Tibicinis; qua longa & mordax*]. Meliacum navigium (*rimarum plenum*). Excedere clepsydram [*dicendo*]. Rimarum plenus hac illac perfluis. Vir saburratus (*cibo onustus, ideò loquacior*). Gerras clamitare. Quidquid in buccam venit. Quidquid in linguam incidit. Stenologìa [*sermo de frivolis rebus*]. Stenolesches [*de futilibus garriens*]. De calcaria in carbonariam decurrere. Satyrica, vel Mimica levitas. Ebrietas, temulentia, compotatio absque vino (*Theophrast.*) Ad vinum disertus. Blaterones, Rabulæ, Linguaces, Locutuleij. Turtur cantat. Sartago loquendi [*Pers.*] Ita nugas blatis? (*Plaut.*) Citeria, Adoleschia [*futilis loquacitas*]. Ebullitio [*effervescens locutio*] Ebullire. Quod quidem solent ebullire nonnulli [*Cic.*] Qui, quę vult, dicit, quę non vult, audit. (*Ter.*)



Glo-

Gloria. V. Dignus, Exaggerare. *Gloria inanis*. V. Superbia.

Gratiæ. *Gratus animus*. V. Liberalitas.

IMmortales Gratiarum horti ſunt. Ciconiæ ſe mutuò nutriunt [*id quod illa ſenibus præſtant*]. Syloſontis Chlamys (*quam cum Hyſtaſpes dono obtuliſſet Dario, hic Inſulam Samum rependit*. Herodot.) Gratias tibi ago ſummè, & exuperantiſſimè (*Apul.*) Verbis accuratiſſimis, officioſiſſimis gratias agere. Mirificas gratias agere. Aliquem de beneficio accepto amare. Amo te, & habeo gratiam. Valde te amo de &c. Bonam gratiam habere alicui. *Contra* Malam gratiam.

Gula. V. Bibacitas, Luxuria, Cœna, Prodigalitas, Luxuries.

COmbibonum Senatus. Cupes (*cupedijs, & liguritioni deditus*. Plaut.) Matteolicus [*gulcſus quem matteola, vel mattya juvant*]. Neronis noctes [*ad mediam noctem, & ultra cœnam protrahentis*]. Catillones (*catinos lingentes*). Popinones, Helluones, Lurcones, Glutones, Ganeones, Manducones. Venter Aſotus [*luxu perditus*]. Pernicies, & tempeſtas barathrumque macelli (*Hor.*) Venter popa. Venter ſaburratus [*prapinguis*]. Comedit quod fuit, & quod non fuit [*Plaut.*] Gloſſogàſtores (*ventriloqui*) Cana Gula [*pervetuſtus, emeritus Helluo*]. Ventres Cyclopeij. Terræ Cerberi. Harpyis gula digna rapacibus (*Hor.*) Bacchanalia vivens (*Iuv.*) Abdomini ſerviens. Natus abdomini ſuo [*Cic.*] Venter auribus caret [*Non audit conſilia*]. Charybdis, & barathrum epularum. Apicij, Vitellij aſſecla. Edacior vulture. Porcus Trojanus. Porcellus Acarnanus. Bos ad præſepe. Ad ambas uſque aures ſeſe ingurgitare.

Cœnipeta. Parasiti, Gnathones: Muscæ [*quæ ad dulciores cibos advolant*]. Auceps culinæ. Unctę tractus nidore culinæ. Muris in morem vivere. Aliena vivere quadra, Myconiorum more [*qui etiam non invitati aderant*]. Amici ollares. [V. *Amicitia*]. Cyclades inhabitant (*huc illuc cenaturi vagantes* (. Decempes umbra (*cœnandi tempus notans, gratissima Parasitis*. Ex Paul. Man.). Asymbolus [*qui alieno edit sumptu*]. Suave me suffocet (*Gnathonum vox*). Ad solarium versari (*umbram observare, & cœnæ tempus discere*). Lautioris fortunæ comes. Autolecythi [*Parasiti, Scurræ, sponte ad lecythum commeantes*]. Parasitari, Congræcari, Pergræcari. Authorare se gula. Corvitare [*Avidè vesci*]. Cibicìda [helluo].

Honor. V. Dignus, Excellentia, Liberalitas.

Honor Indigno. V. Absurda.

MOpso Nisa datur. Asinus in pelle Leonis. Simia in purpura. Asinus apud Cumanos [*ubi in honore habitus*] Bos in quadra argentea [*Suid.*] Strumam dibapho tegere. Sine populi suffragio ædilitatem gerere.

Humilitas. V. Modestia, Audacia, Arrogantia.

Hypocrisis. V. Simulatio, Falsitas:

PLures thyrsigeros, paucos est cernere Bacchos. Plures Thriobolos, paucos est cernere Vates (*Thrioboli, qui thrias, h. sortes, in urnam mittebant*). Non omnes, qui habent citharam, Citharœdi. [*Varr.*] Simia purpurata. Simia simia est, licet aurea gestet Insignia. Pallio tenus, Barba tenus Philosophus [*sic Ammianus Antigonum appellavit*]. Caracallæ nummi (V. *Falsitas*). Qui Curios simulant, & Bacchanalia vivunt (*Iuv.*) Pelliculam veterem retines, & fronte politus Assiduam vapido servas sub pectore vulpem (*Pers.*)

[*Pers.*] Alienum sumere vultum. Introrsus turpis, speciosus pelle decora. Aurum subæratum. Barbam, & pallium video, Philosophum non video [*Herodes Atticus*].

Ignavia. V. Otium, Negligentia, Stolidus.

EQui Senecta. Neglectis urenda filix innascitur agris (*Hor.*) Ignavis semper est Festum. Ignavis semper Feriæ. Tarentinos frequentes feriæ perdiderunt. Cui marmoreum Caput est, si vivat Imago [*Iuv.*] Nos Numerus sumus, & fruges consumere nati (*Hor.*) Vappa, ac Nebulo. Dissolutus, Discinctus, socors verna. Supinus, vacans, vacuus, veternosus. Cessator Davus. Sponsi Penelopes, Nebulones, Alcinoique, In cute curanda plus æquo operata Juventus, Cui pulchrum fuit in medios dormire dies (*Hor.*) Genus ignavum, quod tecto gaudet, & umbrâ [*Iuv.*] Plebs mollis, & expes (*Hor.*) Pigra situ securaque pectora torpent (*Ov.*) Sellularij homines. Curvæ in terras animæ [*Pers.*] Segnipedes, dignique molam versare [*Iuv.*] Vitanda est improba Siren Desidia [*Hor*] Ede Nasturtium (*ad torporem excitandum*). Oscedo. Situs. Situ, Veterno torpens. Longa rubigine torpens Ingenium [*Ov*] Compressis, complosis manibus sedens. Thersitæ similis. Conglaciare (Cic. *Curioni tribunatus conglaciat*: hoc est *prorsus nihil agit*). Manum habens sub pallio. De fera comedit [*Ferinæ esus oscitationes excitat*]. Muscas depellit. Apragmon (*Negotiis vacuus*). Apragmòsyne (*cessatio a nogotiis*) Albo pallens otio [*Mart.*] Resupinatus, temerè jacens, ac stertens. Nasturtio indiget. Diuturnæ lemæ [*in segnes, & parum prudentes: nam Lema est Lacryma congelata*]. Ad Eurotam sedere (*otiari, Romæ erat Porticus Corinthia, a Cn. Octavio erecta, ubi erat pictus Eurotas fl. Laconiæ*). Quinta natus est luna *inutilis, ignavus: ut accidit in agris*). Corvus relictis ab Aquila cadaveribus vescitur (*in Desides, qui alienis laboribus famã aucupantur: Corvus, Avis imbellis*).

Ignobilitas. V. Contemptus, Infamia, Servitus.

HOmo ſine tribu, ſine nomine; nullius nominis, nullis imaginibus, nullo ære commendabilis. Filius, Progenies terræ. Subditiτius, Suppoſititius, obſcuro genitore ſatus. Servilis Capillus. Qui ne matrem quidem nominare poteſt. Sellularius, & deſpicatiſſimus. Nullum habens numerum. Numerum eſſe; Nullo numero, loco, parte, claſſe, ordine eſſe, poni, haberi, cenſeri, &c. Nullo ordine, honore, numero dignus. Mortalis ultimæ, infimæ, extremæ, poſtremæ, deterioris Notæ, ſortis, ordinis, claſſis, nominis, pretij, æris, ſubſellij. Semiſſis homo. Conchà dignus (*rem nullius pretii Concham dicunt Græci*). De lapide emptus. Sale coemptus (*ut olim captivi*). Pannus lacer. Ægyptius laterifer. Telluris inutile pondus. Barbarus e trivio. Cane ſervilior. Servilem capillum præferens. Mediaſtinus. Lixa. Semilixa. Sale emptum mancipium. Cimex. Cinerem quærens. Cubito nares emungens. E quercu natus. Vile mendicabulum. Homo treſſis, pili, trioboli, triobolaris, diobolaris, diobolare, triobolare caput, nullius æris. Tertias, & quartas tenens. Homo nihili, nauci, flocci, unius aſſis, Pilo dignus, Nec uno dignus, ne ligulà quidem dignus. Buſteus homo. Homulus ex argilla, luto fictus, unus multorum, imi ſubſellij, Myſorum ultimus, ne unica quidem nuce emendus. Caſſa nuce non emerim. Hujus non facio, non emptitem titivillitio (*filo putrido*). Capitulum. Ligula, caliga Maximini [*Imp. Thracis e ſordido genere, procerioris ſtaturæ. In longos, & ineptos dictum*]. Gregarius, & ſubſignanus miles. Extra numerum mihi es (*Plaut.*) Pars ultima vulgi. Ignoti ſanguinis hæres. Populari, gregali, vulgari ſanguine, gente natus. Cui ſine luce genus. Priſcæ lucis egens. Therſitis nepos. Viles animæ, Vulgi fæx. Vilior concha, Care, alga, còrchoro (*vili olere*), mortuo. Hilum, Bulla, Fungus, Fumi umbra, Medulla pennæ.

Pe-

Peronatus arator. Caprimulgus. Treſſis agàſo. Remex Ulyſſis. Projectæ, arum; Projectarij (*inopes*, *mendici*: vulgò *Birboni*) forenſes Divinaculi. Projecti, Projectitij, Expoſiti, Expoſititij [vulgò *Abbandonati*] Omnium hominum poſtremiſſimus (*A Gell.*) Adoxus (*Inglorius*). Adoxia [*Nominis obſcuritas*]. Ignomines [*laude carentes*]. Obnoxius animus (*Illiberalis*, *ſervilis*, *degener*).

Nota. *Si de Re ſermo eſt, complura ex hiſce ad eam transferri poſſunt*: e. g. Res treſſis, nullius æris, &c.

Ignorantia. V. Ruditas, Stolidus, Literaria, Auctoritas.

NEque nare, neque literas novit (*literas neſcire* eſt *Neſcire ſcribere*). Ne Æſopum quidem trivit. Ne tria quidem Steſichori novit (*qui per Strophen*, *Antiſtrophen*, *& Epòdon ſuos verſus diſtribuit*). Indoctior Sue, Philonide, Libethrijs. Opicus mus. Nihil graculo cum fidibus. De Epicuri hara productus. Sedet ſupra ſtipitem ſtipes [*ut Socraticus dixit Ariſtippus*]. Qui ne a limine quidem Muſas, diſciplinas, literas ſalutavit. Literas ne extremis, vel primoribus quidem digitis attigit; ne primoribus quidem labris deguſtavit: Summis olfecit naribus, ſummo digito deguſtavit. Omnium rudis, inſolens, imprudens, peregrinus, hoſpes, literarum. Profanus literarum (*Macrob.*) A quo procul præſentia Veri (*Lucr.*) A Muſis, & a Gratijs abeſt. Otioſus, vel ſerus ſtudiorum. Semipaganùs. Agrammatus. Analphabetus. Amuſus. Inſubidus. Opicus. Batavus. Cui Opicæ, Batavæ ſunt aures. Quem ne Mercurius quidem ipſe cum Muſis ſanarit, perſanarit, *vel*, ſi velit, ſanare poteſt. Quo nihil incultius, ſpoliatius, infantius. Homo infantiſſimus. Qui nihil palæſtræ, & olei habuit. Artibus leviter tinctus, aſperſus, infectus. Mercurialem ſalivam vix ſorbuit, Ad Muſarum genium vix ſapit. Literas, ut canis e Nilo, leviter attigit, curſim, in tranſcurſu, per tranſennam vidit. Beta Sapientum. Quaſi per nebulam ſcire [*Plaut.*] Rudis, & Grajas mirari neſcius artes.

tes. (*Iuv.*) Homo abnormis, crassaque Minerva (*Hor.*) Trunco simillimus Hermæ (*Iuv.* h. *illis Mercurii statuis comparandus, quibus solum extat caput; reliquum verò corpus rudis truncus; quarum plurima visebantur Athenis*). Opsìmathes (*serò discens*). Opsimàthia (*Tardiscentia*) Asinus ad Lyram. Ad myrtum canens (*Olim ignari Musices in conviviis, accepto myrteo ramo, cogebantur ad eum canere*). Asinus in unguento [*Indoctus inter libros*]. Sus Minervam (*s. docet*) Circa montis radices versari. Ignarus habenas non tractet. Rabulæ forenses, Pierij Scurræ, Apollinis Sileni (h. *mali Poetæ*). Ptochomusi [*Scioli, Rhetorculi*] Gramatocyphon [*Gramaticulus*]. Rudit e rostris, atq; hinnil tat (*Varro*).

Imperfectio. V. Ruditas, Literaria, Perfectio.

Impossibile. V. Labor inanis, Difficile, Absurda.

ADynaton. Priùs locusta bovem pariet, lupus ovem ducet, testudo prævertet leporem, aquilam vincet, duo Echini amicitiam inibunt, recte ingredientur cancri, jungentur lupis capreæ, Scarabæus mel colliget, volabit Elephas, ex arena funiculum nectes, ex asini cauda cribrum plectes, Atlanticum mare exhauries cotyl [*parvæ mensuræ genere*], mare vitem tulerit, fontes sitient, sursum versum, *vel* retro ferentur flumina, elephantum sub ala teges, ab asino lanam sperabis, sine pennis volabis, Augiæ stabulum repurgabis, statuam facibus fovebis, veste ignem circunferes, lupum agno eripies, lusciniæ deerit cantus, verba mulieri, vento vives, fluvij cursum coges, terra ætherem conscendet, Myricæ poma ferent, Acantida vincet Cornix, violas proferent Rubi, feret pyra mitia Prunus, trahet cerva molossum, Sambucam citiùs Caloni aptaveris alto (Pers. *Instrumentum musicum militum servo*), Cœlum ruet. Rete inflabis, &c.

Possunt etiam sic efferri. Testudo volat. Nunc violas proferte Rubi.

Rubi. Asini cauda non facit cribrum. Quid si Cœlum ruat? &c. V. *Labor inanis.*

Improbare. V. Censor, Damnare, Emendare, Derisio.

Improbitas. V. Molestus, Delictum, Impudentia, Severitas.

Bipedum nequissimus. Improbior Eurybato, Phrinonda, Sostrato, Aristodèmo, Cercòpe. Nequior Sardanapalo, ipsà Nequitià. Alter Ballio, Phrynondas, Hippomanes. Cercòpum cætus (*fraudulenti in Epheso homines*). Eurybatizare (*Eurybatus inter Cercòpes pessimus*). Lydi, Leri, Ætòli mali. Tenedius tibìcen [*testis falsus, & calumniator*] Ultra Eurybatum malus, Phrynondam, Diagoram Melium (*qui Diagoras capta Melo, Insula inter Cretam, & Peloponnesum, fœdifragus fuit, & impius sacrorum contemptor*). Ulyssis Remigium. Dùrei, vel Duràtei Equi speciem præfert [*de Homine multifariis vitiis obnoxio, ut Equus Trojanus multos Græcorum inclusos gesserat. Sic Clemens Alexander l. 2. de Basilide loquens: Homo uno in corpore, ut Equus Trojanus, multorum spirituum exercitum inclusum habet.* Durius, Durateus, *Ligneus*]. Crater malorum, litium, [*improbus, morosus*]. Tria Cappa pessima (*Cappadocem, Cretensem, Cilicem, corruptis moribus populos, significant*). Est servorum Civitas. Inexploratus homo. Lupus pilum, non mentem mutat. Pardus maculas nunquam deponit. Naturam expellas furca, tamen usque recurrit (*Hor.*) Æthiops nunquam albescit. Quo semel est imbuta, recens servabit odorem testa diu [*Hor.*] Sani nihil est. Strumæ ipsæ ab ore improbo demigrarunt [*Cic. in Vatinium*]. Intestabilis, & sacer (*Hor.* h. *detestabilis*). Odiosici, & multum incommodistici (Plaut. h. *Odiosi & permolesti*). Omnium hominum, Deorumque pudor [*Pet. Arb.*] Omni fartus ma-

litia. Indoles atrox, & impotens. Malè conciliatus. Improbior ſcorpijs. Prætextatus. Pretextatis, afflictis moribus adoleſcens (profligatis, perditis). Intolerantia morum. Cacotropia (*Morum improbitas*). Cacotropus. Cacophyia [*Mala indoles, pravum ingenium*]. Cacophron [*cui mala mens*]. Fruſtum pueri! (vulgò *Impertinente, Fraſchetta*).

Imprudentia. V. Negligentia, Prudentia.

Impudentia. V. Audacia, Libertas loquendi, Improbitas.

PErſonam, non faciem gerit. Tabernariam exercet in fronte. Sine perſona, vel larva laſcivire. Epudoratus (*extra pudorem poſitus*). Faciem, frontem, os perfricare [*pudorem omnem dediſcere*]. Cui frons perijt. Frons perijt rebus (*Perſ.*) Cujus fugit ab ore pudor. Qui frontem commaſculavit. Qui vultum confirmavit. Os infrunitum. Os pugilis! Os hominis! Os Athleticum! Os ferreum habens. Cynops (*caninus aſpectus: ſic Homericus Achilles Agamemnonem vocat*). Canis habens oculos. Aſpectus, vultus Atticus. Vir nudo capite [*ſine pudore*]. Homo duri, duriſſimi, tuberoſiſſimi oris; nullius oris, vel certè tuberoſiſſimi. Effrontiſſimus homo, luculenter audax. Projectæ vir audaciæ, temeritatis. Vir poſita fronte, projecta, profligataque audacia; inſignitè, inſigniter impudens. Aſpice, quæ ſit victi conſtantia vultus (Perſ. h. *quàm firmo, & erecto vultu*). Victi, poſiti, deplorati pudoris homo, & præmortuæ verecundiæ: inverecundæ, improbæ, exertæ, attritæ, detritæ, perfrictæ, perfricatæ, abſterſæ, deterſæ, abraſæ, deraſæ frontis. Homo effusè petulans, petulantior Scytha. Vir exhauſto pudore, nihil oris habens, Pudoris expers, Cui nihil oris. Qui frontem exerit, qui, vel quem depuduit. Frons exanguis, & ænea. Frons durior, quæ pudorem omnem exuit, excuſſit, exhauſit, de-
didi-

didicit. Petulantia Scythæ conveniens. Scythica petulantia; ac feritas. Oris duritia. Res digna Florali tuba. Cotyttia (*sacra nocturna, quæ Athenis fiebant a Baptis in honorem Cotyttus, Deæ Impudentiæ*). Verecundiam abijcere. Pudorem devorare, relegare, sequestrare. Oculis emissitijs intueri.

Impudicitia. V. Pudicitia, Impudentia. *Inanis gloria*. V. Superbia. *Incipere*. V. Principium. *Incitare*. V. Stimulare.

Inconstantia. V. Perseverantia, Assiduitas.

CHimæra, Chamæleonte, Polypo, Proteo, Vertuno, Achelòo, Æquore, inconstantior, mutabilior. Cothurno, Trocho, Turbine versatilior. Euripo, pluma, pappo mobilior. Subere, cortice, pluma, stipula, pappo volante levior. Aura verna incertior. Desultorius homo. Sibi discors, pugnans, impar. Vertunis natus inquis. Heteroclitus. Tanquam Polij folia [*mane candida, meridie rubra, vespere cærulea*]. Non horam secum esse potest. Amata relinquere pernix. Mutat quadrata rotundis (*Hor.*) Optat ephippia bos piger, optat arare caballus [*Hor.*] Mulieris animus. Aliud stans, aliud sedens loquitur. Omnium rerum vicissitudo est. Circulus res mortalium. Ventorum statio. Levitas desultoria. Turpe referre pedem (*Ov.*)



Inexorabilis. V. Impoſſibile, Labor inanis, Preces.

Infamia. V. Ignobilitas, Deriſio, Abſurda.

CÆrite cera dignus (h. *inſigni ignominia. Caritibus, Etruſcis, Romani nullum ius ſuffragii conceſſere. Tabula carites, in quibus referebantur, qui ſuffragijs privati*]. Fractas aures gerit (*ut olim gladiatores, & ſervi*). Sutorio atramento abſolutus eſt. [Cic. h. *non ſine nota infamia*]. Quem Fortuna nigrum pinxit, hunc nulla ætas dealbabit. Cythonymus (*infamis, cuius nomen obliterandum*). Cythonymi dedecus (*cuiuſmodi Heroſtrati, qui, ſibi ut æternum nomen colligeret, Ephesina Diana templum incendit*). Vitelliana cicatrice ſtigmoſus. Stigmatias, ſtigmaticus, Stigmate inuſtus, Literatus, Literis, notiſque ſervilibus, Thracijs, compunctus, triſti nota inſignitus, Inexpugnabili literarum nota, per ſummam oris contumeliam, inuſtus. Vultus inſcriptus. Cacophèmus [*vir mala fama*]. Homo non bellæ famæ. Cui non bella eſt fama. Fama dignus ſiniſtra. Cujus memoria damnata. Scelere, atque infamia fractus. Columellis, Collaria, cataſta dignus. Adoleſcens fama haud ſincera. Terrarum propudium. Cœnum, Ulcus, Buſtum Reip. Nobiliſſimus latro. Malè, peſſimè audire. Opere cenſorio notari. Ignominiæ labem ſubire. Rumore malo flagrare. Infamia flagrans. Fama, exiſtimatione diminutus. Ignominiæ macula notatiſſimus. Omni dedecore famoſus. Cujus nomen affectum, aſperſum, inſperſum, inquinatum ſordibus, maculis ſempiternis. Fama decolor. Inhoneſtamentum. Dehoneſtamentum. Dignitatem ſuam ad viles operas reſcribere, ad ſervilia miniſteria allegare, illiberaliùs deprimere, ſordidè abijcere.

* ✠ * * * ✠ *

Inſi-

Infidelitas. V. Astutia. *Ingenium.* V. Perfectio, Literaria, Ruditas. *Ingratus.* V. Beneficium, Gratus. *Initium.* V. Principium. *Injustitia.* V. Justitia.

Innocentia.

PUrior Clavo, Gubernaculo. Aurum Colophonium, igni probatum. Scelera non intrant casas [*Sen.*] Hic murus aheneus esto, Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa. (*Hor.*)

Inordinata res. V. Literaria, ubi *stylus malus.* *Insania.* V. Stolidus. *Insidiæ.* V. Astutia. *Insipiens.* V. Stolidus. *Institutio.* V. Principium. *Investigare.* V. Prudentia.

Invidia.

COgnatio movet invidiam. Figulus figulo invidet, faber fabro [*Hesiod.*] Invidus vicinorum oculus. Una domus non alit duos canes. Non capit Regnum duos (*Sen.*) Fertilior seges est alieno semper in agro; vicinumque pecus grandius uber habet (*Ov.*) Edentulus vescentium dentibus invidet. Præstat invidiosum esse, quàm miserabilem [*nam invidia quisquis patet, felicitatem comitem habet*]. Dolent tibi oculi [*Plaut.*] Nigros corrodit lividus ungues (*Mart.*) Versus viridi ærugine tincti [*Mart.*] Invidia flagrare [*invidere, vel invideri*]. Invidia rumpi, dirumpi. Summa petit Livor (*Ov.*) Animus mala ferrugine purus (*Ov.*) Expertes Invidentiæ Musarum fores, vel januæ.


*†***†*

Inu-

Inutilitas. V. Ignavia, Utilitas, Labor inanis,

Ira. V. Arrogantia, Ultio, Mansuetudo, Severitas.

IRacundior catellis, Adria (*tumido mari*). Labrum, fræ-num mordere. Oestro percitus [*quo agitatæ boves furunt*] Tragicum fieri. Fœnum habet in cornu. Neptuni, seu Maris filius. Quem Glaucus genuit. Siccum jecur uritur, ardet ira. Rabies jecur incendit. Parata tollit cornua. Bilis in naribus sedet. Ferrum in igne est. Læva stomachosus habena. Atra bile percitus. Oculis bilem apertis substringit. Ira sedet naso. Bilis splendida, mascula, vitrea, vitellina (h. *pallida*, & *vehementiùs usta*). Turgescit vitrea bilis. Ringitur, finditur, rumpitur ira. Face supposita fervescit sanguis. Ira scintillant oculi. Commota fervet bile. Supercilium contrahit. Crudum unguem arrodit. Ambas inflat buccas. Rabiens scævam latrat caninam. Dentibus frendit, icit femur. Mænadas, Thyadas in oculis gerit. Stolidæ prodigus iræ. Incicur iracundia. Rubrum pingit ira nasum. Iræ, vel iræ impotens. Nasum; frontem corrugat. Frontem caperat. Iras proflat [*ut fera*]. Lumina Gorgoneo sæviùs igne micant [*Ovid.*] Ne fumantem vivi nasum tentaveris ursi (*Mart.*) Cornutam bestiam petis. Dormientem canem irritare. Bilem in nasum concire alicui. Stomachum movere alicui. Iræ fræna laxare, habenas remittere. Iræ, iracundiæ servire, indulgere. Iram in aliquem colligere. Stomacho exardescere, effervescere in aliquem. Crabronem irritas. Leonem stimulas. Quercus bacchans. Etiam Quercus Mænas facta est.



Judi-

Judicium. V. Cenſor, Juſtitia.

Juramentum. V. Auctoritas.

ARas tangere. Jovem lapidem jurare [*Fecialis jurabat lapidem tenens*]. Sanctè, perſanctè jurare, conjurare, dejerare. Deum teſtari, fide jurata firmare. Jurare conceptiſſimis verbis. Quaſi ſacramento aliquid affirmare, contendere, affirmatè, perſeveratè, liquidò, diſertè, diſertiſſimè, contendere, perſeverare. Jurato, jurando, juramento, jurejurando interpoſito, adhibito, affirmare. Juratus affirmo. Sacramento dicere. Jure jurare. Juſiurandum jurare, interponere, concipere. Tunc ego jurabo quævis tibi nomina, meque Adſtringam verbis in ſacra jura meis (*Ov.*) Deum teſtificari. Ita mihi velim Deum propitium. Ita me Deus amet, juvet, ſervet, reſpiciat: ita vivam, ita mihi bene ſit, ita ſim ſalvus, &c., ut ego non mentior. Ne valeam, ne vivam, diſpeream, peream malè, Deus me perdat, omnes ſuperi exagitent me, ne ſalvus ſim, emoriar, inteream, homo trioboli ſim, amens ſim, malè mihi ſit, &c. ſi non &c. Authorare aliquem .h. Sacramento adigere, obligare, rogare, ut &c. Pejerare. Falſum juſiurandum jurare, facere, adhibere. Sacramentum perfidum, falſum dicere.

Juſtitia. V. Cenſor, Severitas.

SAlem apponito [Pythag. *Sal enim ſervat, & rebus puriſſ. conſtat, aqua, & igni*]. Juſtior Trutina, Phocione, Juſtitia. Rhadamanti pollet judicio. Juſtitiæ eſt oculus. Prienenſi claret Juſtitia: *ſive* In judicando Prienenſi Biante præſtantior: *ſive* Si qua judicas Biantem fac Prienenſem vincas [*Hipponactes*]. Bocchoris, Rhamnuſius, Rhadamantus alter. Clavum rectum tenet. Zaleuci lex. Rheæ ſeculum redijt. Adechaſti Judices (*Incorrupti*). Scit Juſtum gemina ſuſpendere lance [*Perſ.*] Scit quid Maſuri rubrica

brica vetavit [*Perſ.*] *Maſurius celeberrimus Tiberii tempore I.C.*] Ex æquo partiri. Qui ſtatuit aliquid, parte inaudita altera, Æquum licet ſtatuerit, iniquus fuit. [*Sen.*] Juſtitia in ſeſe virtutes continet omnes (*Ariſt. Cic.*)

Labor. V. Conari, Aſſiduitas.

Labor inanis. V. Impoſſibile, Abſurda, Nugæ.

REte inflas. In aere piſcaris. Venaris in mari. Aſinum tondes. Ab Aſino lanam, e pumice aquam poſtulas. Calvum, utrem vellicas. Laterem, Æthiopem lavas. Nebulas diverberas. In cinere, in aqua ſcribis, ſementem jacis. Ignem diſſecas. In arena ſeminas, ædificas. Cribro aquam hauris. Danaidum dolium exples. Aranearum telas contexis. Litus aras. Ovum agglutinas. Penelopes telam retexis. Alienum fundum aràs. Ventos rete capis. Nugas agis. Nihil agis. Actum agis. Memorem, vel Senem mones. Invitis canibus venaris. Leonem larva territas. Tranquillum æthera remigas. Aquam mortario tundis. Contra fluminis tractum niteris. A muliere ſilentium expectas. Umbram tuam metiris. Lupi alas quæris. Ad fractam citharam canis. Caminum dealbas. Delphinum, anguillam cauda ligas. Arenam metiris. Iſthmum perfodis. Fimo ſuffitum facis. Oleum & operam; operam, & retiam perdis (*Retia* olim pro *Rete*). Utrem mergis. In frigidum furnum panem immittis. Hylam inclamas [*ut olim fruſtra Hercules*]. Hydram ſecas. Ventos aras, verberas, paſcis. Cotem alis. Cum Dijs pugnas. Cum larvis luctaris. Mortuo mederis. Undas numeras. Operam ludis. Studium, Ocium perdis. Laterem elixas. Male, perperam collocas bonas horas. In Cœlum jacularis. Milium terebras, torno ſculpis. Senis linguam mutas. Delphinum natare, Aquilam volare doces. Puero barbam tondes. Tantali poma captas. Ver ex anno tollis.

Anthericum metis (*quæ herba vellitur*). Mari aquam addis. Mare exuris, exhauris. Sisyphium saxum portas. Nudum spolias. Nudus nec a centum viris spoliari potest.

Lætitia. V. Spes, Relaxatio.

GRatijs litare. Vivere. Oculus dexter mihi salit. Cor tibi rite salit (*Pers.*) Libare Horis, & Gratijs. Lætitia juvenem, frons decet tristis senem [*Sen.*] Omnibus lætitijs lætari, incedere, affluere. Frontem explicare, exporrigere. Vultu, fronte explicita, explicata, explicatiore, exporrecta, exporrectiore esse [*Frons olim Genio sacra, ut auris Memoriæ, digiti Minervæ, genua Misericordiæ*]. Lætitia, & Lubentia onustum incedere. Vix suum gaudium gaudere. Vix sua gaudia differt. Lætatur prætrepidum cor [*Subsiliens*. Pers.] Genuinum gaudere gaudium. Percurri, pertentari pectus gaudio. Vitulari (*voce lætari. Vitula Dea Lætitiæ*). Vitulans præ Victoria (*Enn.*) Fortuna dulci ebrius. Gaudium efferventius (*Gell.*) Incessi ludibundus (*Plaut.*) Ludibundi oculi. Indulgere genio. Gratulor oculis meis te revisentibus.

Laudare. V. Exaggerare.

Liberalitas. V. Gratus Animus.

AMbabus manibus, plena manu, pingui mensura, pleno modio dare. Promus magis, quàm Condus. Animus ad præmia velox (*Ov.*) Sui memores alios merendo facere. Dividuo munere quadram findere alicui. Ut sementem feceris, ita & metes. Prolixè cumulatè: Bis dat, qui citò dat. Ut pisces hamo, ita homines beneficio capiuntur. Nescis inescare homines (*Ter.*) Theagenis munificentia.

Scalpentem vicissim scalpe (*officium officio pensa*). Manus manum lavat, & scalpit. Beneficium beneficio respondeat [*Eurip.*] Par pari referre. Parem calculum ponere, reponere.

nere. Reciprocare beneficium. Pensare ex æquo. Paria facere. Redhostire (*compensare*) Hostimentum [*compensatio*]. Fœnerare beneficium alicui. Beneficium fœneratum, redhostitum (*compensatum*).

Alcinoo poma dare [h. *Abundantiori*]. In silvas ligna ferre, in mare aquas, Crocum in Ciliciam, Ululas, vel Noctuas Athenas, Crocodilos in Ægyptum. Lumen Soli mutuare. Hostium munera non munera. Timeo Danaos, & dona ferentes. Deorum dona sæpe non dona. Perdidisti vinum infusa aqua [*Beneficium corrumpere*]. Panis lapidosus (*Beneficium corruptum*). Apud fimum aromata spargere, Ollam exornare, Juglandium putamina inaurare (*Beneficium ingratis*). Ranis vinum effundere (*ineptum*). Veneri aprum immolare [*ingratum; quòd Adonidem interemit*]. Argentanginam pati [*Corrumpi muneribus, ut Demosthenes contra Milesios dicturus*]. Bos in lingua (*idem: quia Athenis nummi Bovis capite signabantur*). Malis ferire aureis (*quibus projectis Hippomenes Atalantam vicit*). Testudinibus Sapientia cedit [*in Peloponneso Numisma testudine usum erat*]. Argenteis hastis pugnare. Vulpes non capitur munere (*Suid.*) Evenit mihi quod Polluci [*cùm duo commune munus obeunt, alter verò mercedem assequitur: Nam Romæ Templum Castori, & Polluci dicatum, unius dicebatur Castoris*]. Beneficium dando accepit, qui digno dedit (*P. Syr.*)

Liberatio, Libertas. V. Servitus.

IN cavea minùs bene canit Luscinia. Domi suæ quilibet Rex. Sui mancupij esse (*nulli subiectum*). Resoluto vivere collo. Hæc mera Libertas, hæc nobis pilea donat (Pers. *Servi libertate donati pileum sumebant, Libertatis Insigne*). Quem vindicta relaxat [*feriebantur Prætoris virga quæ Vindicta dicebatur*]. Pulsandum vertice raso præbere caput [Juv. *ad Pretorem ibant raso capite*]. Quem una Quiritem vertigo facit (h. Rotatio: *nam Dominus servum dextra prehensum in orbem rotabat: sic manumittebat: Manumissus civis R. fiebat, & Familiæ Prænomine donabatur; e.g. M. Tullius Tiro*). Verterit hunc Dominus momento turbinis,

exit

exit Mancus Dama [*Perf.*] Pileum induere. Civicam ab aliquo mereri (*h. coronam: Liberare ab hoste*). Civicam de se alicui dare (*liberari*). Aliquam reperire rimam (*libertatis. Plau.*) Malum aliquod averruncare [*averter*]. Deum averruncum placare, ut aliquod malum averiat (*V. hic pag. 145. in Epimetro*). Proclamare ad libertatem (*Postulare à Iudice in libertatem restitui*). Nemini obnoxius (*liber*).

Libertas, *Licentia loquendi*. V. Maledicentia.

Literis quadratis, uncialibus, plusquam uncialibus scribere, dicere. Apertis tibijs loqui; disertis; disertissimis. Prætextata, Nupta, Opica, Fescennina verba (*impudica*). Prætextatus sermo. Tanquam de plaustro loqui [*licenter*]. Saturnalitia verba. Per Saturnaliorum licentiam. Libertate Decembri uti. Osce loqui (*sordide*). Solida plaustra convicijs onusta effundere (*de plaustro conviciabantur Satyrici*).

Lingua. V. Garrulitas. *Lis*. V. Rixosus.

Literaria. V. Diligentia, Sapientia, Ignorantia, Proficere, Ruditas.

Schola. Introite: nam & hic Dij sunt [*Heraclit. de Libris*]. Literaria, Palladia, Palæstra, Arena; Eruditus Pulvis, Agon, Stadium, Curriculum, Ludus; docta Gymnas; Apollinares ludi. Sedes docto, amœno, honesto otio dicatæ, destinatæ. Docta otia, ingenua pigritia (*Mart.*) *h. Studium*]. Pulvis Grammaticus, Elementarius, Philosophicus, &c. Addictæ Musis, & Mercurialibus Ædes. Eloquentiæ Sacrarium, Templum, Asylum. Studiorum Diversorium. Publicæ Sapientiæ Palæstra. Liberalium Artium Officina. Sapientiæ Domicilium. Musarum Umbra-

cula. Literarii cœtus. Umbratilis Rhetoricæ disciplina. Gymnasij Celebritas. Lyceum, Athenæum, Phrontisterium, Musæum, Ephebæum, Grammatêum, Didascaleum, Pædagogium. Pedeuterium. Subsellia. Exedræ.

Magister. Sapientiæ, Disciplinarum Præses, Arbiter Palladiæ Iuventæ, Arenæ Moderator, Rector. Scolastici, literarii Regni habenas regens. Cui literarium Sceptrum, Fasces, Tribunal, Pulpita. Cui Minerval, & Pædeuterium penditur. Gymnastes, Dogmatistes, Didascalus, Pædeutes, Pædagogus. Hypodidascalus (*Repetitor*: *vulgò* Sottomaestro, *Supplementum.*) Literator; Rhetor. Orbilius alter. &c. Qui disciplinas, artes, præceptiones instillat; Iuventutem artibus tingit; fingit, imbuit, inficit, aspergit. Pædagogia, Pædeutica (*Ars pueros instituendi*). Næniæ, Cantilenæ, Apinæ Grammaticales [*Præcepta*].

Discipulus. Tiro, Auditor, Elementarius Puer, Rudimentarius Grammaticus, Rhetoricus, Logicus, &c. Qui manum ferulæ subdit; subducit (*scholam effugit*) Probabilis, dignusque Auditor. Scholarum auditionibus tinctus, infectus, aspersus. Palladius Pugil, Atletes. Plurium Palmarum Pancratiastes acerrimus, Olympionices (*victor*). Eiusdem Musæ æmulus [*condiscipulus*]. Innumeri eiusdem Musæ. Ingenium mysterijs, & Orgiis Poetarum initiatum excolere. Liberalibus studijs operari [*Studere*].

Doctus. Mercurialis Vir. Vario Togæ limatus in usu. Cui multum mentis limante Minerva. Gratijs & Musis litat. Musis, & Charitibus gratus. A Musis non alienus, non abhorrens. Ad Musarum genium sapit. Salivam sorbet Mercurialem. Pictus & cultus ab Academia. Ad omnem Disciplinarum honestatem excultus. Alicuius libri vel Auctoris salivam imbibens, sorbens. Quem triumphali vehit Doctrina curru. Eloquentium, mutarunque artium usu peritus. V. *Sapientia*.

Eloquentia. Eloquium Plautinum, Nestoreum, Hymettia mella loqui. Nunc ipsa floret Facundia. Cinnus utriusq; linguæ [h. *Mistio*]. Opiparam ingenii lautitiam depromere.

Stylus elegans. Oratio, Scriptio, ingenui, & sani coloris; in qua plurimum sanguinis, atque nervorum; limatissima, sua-

suavis, & plena lautitiarum. Nihil ex agro, Nihil expositum, quotidianum, populare, vulgare; non vulgari, ac trita signatum nota, de meliori nota, ex Isocratis Myrothecio, A plebe, a Carinis, a mediis Carinis summota recedens [*Carina, Vicus Rom. sub Clivo Capitolij; ita dictæ vel a gr. v. Cara, quod sign. Caput, vel quod ædificia essent in modum Carinæ*]. Exquisitissimæ sermonis deliciæ, & veneres. Sincerissima Latinæ dictionis munditia, mundities. Lepori serviens, & elegantiæ. Atticismus, & concessæ Atticis veneres. Flos quidam, aut quasi Atticismi medulla. Antiqua, puriore vena. Cui non est publica vena. Sermo pictus, pictior, pictissimus; pudicus, & Tullianus; castigatæque verecundiæ. Venus latinæ munditiæ. Terentiana munditia, Sales Plautini. Cultus mundus, vernans stylus. Venustas sale condita. Succus, candor, sanitas quædam, & bona valetudo Scriptionis. Genus dicendi sobrium. Sobrietas Orationis, in qua Naturæ nitor, pigmentorum flos, & color; undecunque concinnitas efflorescens. Stylus mas, masculus, virilis, incorruptus decoctus, decoctior, rasus, rasilis; amœnitatis, & iubentiæ plenus. Opus latinum exædificare: uberiore filo tractatum; demorsos sapiens ungues, aure vaporata audiendum; cedro dignum; Iovis auribus dignum; tanquam vermiculatum emblema; commodè, bellissime scriptum, quibus Musis! quibus veneribus! Latium beans divite linguá. Orationem illuminare, comere, picturare, perpolire, expolire; oratorijs coloribus distinguere, verborum flosculis conspergere, sententiarum luminibus, figurarum gemmulis locupletare, verborum veneribus perfundere. Lucem, splendorem, venustatem, concinnitatem afferre, accersere, adsciscere, conciliare. Sermo verbis dominantibus dives [*Dominantia, Propria significant*].

Carmina linenda cedro, & levi servanda cupresso; Cedro digna; Iovis auribus, vel Apollinis digna; molli numero fluentia: ut per leve severos effundat iunctura ungues (*Pers.*). Picta, Pictior, Poesis, Poeta. Rasiles versus. Acri pumice rasus. Demorsos sapiens ungues. Aure vaporata audiendus. Quem lima momordit. Versus tere-

tes, bene tornati, quadrati; aureo filo deducti.
Stylus inelegans. Admeti Nænia(*stridula, miserabilis: cujusmodi canebatur apud Admetum Regem defuncta Alcestide uxore*). Scriptio vulgari, populari saliva infecta, madens, imbuta. Sermo expositus, quotidianus. Scopæ dissolutæ [*sine nexu*]. Funiculus ex arena. Scytharum oratio. Peregrinitas, rusticitas sermonis. Tritus, & circunforaneus sermo. Subitarius libellus (*unius diei, quique ætatem ferre non possit*). Sine capite fabula. Carmina ad myrtum canenda [*ad quam iubebantur canere Imperiti*]. Carica Musa, cantio, melos [*h. barbarum. Cares tibiis stridulis utebantur*]. Nubes, & inania captans. Versus fluxus [*qui soluto modo quatitur*] delumbis, hiulcus, mutilus. Tenui deducta poemata filo; tenui, paupere vena. Crasso, crassiore filo, musa rudi, pingui Minerva tractare aliquid, infacetè, defricatè (*Nav.*) Scriptio confragosa, illevigato sono, & incondito. Illiteratissimæ literæ. Stylus ampullans, ampullas loquens; spumosus, & cortice pingui; sesquipedalibus verbis tumens. Superciliosus, grallis insistens, comminans. Struma orationis. Illiberalis sermo. Sermonis illiberalitas. Grande aliquid, quod pulmo prælargus anhelet, ampullans (*Pers.*) Stylus trivijs innatus, & forensis (*popularis*), Nullius veneris, sine pondere, & arte [*Hor.*] Nugæ canoræ. Scombros metuentia carmina, vel thus [*Pers.*] Stylus ferreus, spineus, hirsutus, febriculosus. Styli meticulosa superstitio. Stylus Saturnius (*incultus, rudis*), squalens, mœrens, bliteus [*insulsus*] insubidus, venosus, verrucosus; vesicà, & insano syrmate tumens, deductior, gracilior, confragosus, obsoletus, Archaicus, exculcatus, prærancidus, fæcutinus, lutulentus, demortuus, mucidus. Demortuæ voces, rancidæ; a situ, & mucore ductæ. Mucida ramenta veterum Poetarum, ex Accio, Nævio, Pacuvio. Saturniæ lemæ [*veteres versus, quos Fauni, & Satyri canebant*]. Vive moribus præteritis; loquere verbis præsentibus (*Favorin.*) Assuere decerptas ex Antiquorum libris lacinias. Alienum pannum assuere. Omni panno aurum assuere [*pulchrum aliquid extra rem dicere*]. Situs, squalor Scriptionis. Cacosyntheton, Cacosynthesia [*mala compositio*]. *Lu-*

Ludere. V. Relaxatio.

Luxus. V. Cœna, Gula, Vestes, Voluptas.

Vita macerata, permollita (*de molliter viventibus*). Anus bacchatur [*in eos, qui preter ætatem lasciviunt*]. Puellascere lascivia (*Pacuv.*) Porticus, balnea, conviviorum elegantia, Delinimenta vitiorum (*Tacit.*) Municeps Corinthiorum (*Corinthii effœminati*). Sponsi Penelopes, Nebulones, Alcinoique, in cute curanda plus æquo operata juventus (*Hor.*) Cathedralitij ministri (*Pueri elegantes, servi delicati. Mart.*) Euganea mollior agna (*Patavina. Juv.*) Mollior apio, passerculo, spongia, pepone, cucumere, tenera beta, infima auricula, cuniculi capillis, Sybarità. Imbellis Rhodius. Luxuriosior Æsopo. Uncta Corinthus [*voluptatibus dedita*]. Resinata juventus (*Iuv.*) Assiduo Syrophœnix udus amomo (*Iuv.*) Passer pumice levis (*Iuv.*) Viri enervati, exangues, elumbes, discincti: Messalę lippa propago [*Lippus pro Dissoluto*]. Non pudet ad morem discincti vivere Nattę? (*Pers.*) Pumicati mores, teneris Mecœnatibus apti. Suburrani (*suburra, Romæ vicus, delicijs famosus*). Alexandrinę delicię. Pharij Horti. Calcei Sicyonij. Asoti [*luxu, & ganea studio perditi*]. Asotia (*luxuria*). Asotium [*locus, in quo luxuriosi epulabantur*]. Cretenses, & Afri molles. Decoctores. Nepotes, Nepotantes. Grępculus, & otiosus. Curare cuticulam. Pergręcari. Corinthiari. Doricè incedere. Musicè vivere. Abronis vita (*viri notæ luxuriæ*). Hercules in Lidia. Nectar spirat. Unico, summo digito, digitulo caput scabit. Lentiscum mandit. Lentisci arrosor. Epicuri de grege. Porcellus Acarnanius. Vitam agit Apicij, Abronis, Batali, Heliogabali, Sardanapali, Clysthenis. Clysthenes alter, &c. Æsopi patinà lautiùs vivit. Luxu defluit. Calidis tenetur balneis. E Massilia venit. Calvus comatus. Mollis pepo. Parum vir. Càtulus Meliteus. Bacèlo similis [*viro semiviro, desidia, & luxurię insigni; ut & Bagòus, & Me-*

& Megabyzus pro imbelli, & molli). Olim fortes Milesii (*luxu robur amiserunt*).

Maculæ. V. Sordes.

Maledicentia. V. Licentia, Infamia.

Acida lingua (*dicax, mordax*). Hipponactęa, Archilochia dicta. Archilochum terit. Archilochiam callet mordacitatem. Theonino dente mordere, rodere. Genuinum infigere, infringere in aliquem. Mordacior Momo. Pellem rodit caninam. Habet Sycophantias. Satyricis aculeis, ferulis armatus. Aceto perfundit. Sale perfricat. Colophonià persequitur injurià. Obloquitur, obstrepit, gannit, allatrat, sugillat, vellicat, subsannat omnes. Mortuos devovet. Execrationes serit (*Cyprij, hordeum serentes, devovebant quibus male vellent*). Vincit Hyperbolum (*Conviciatorem*) vel Mœsonem [*histrionem Megarensem*]. Latrator, Cynicus. Verba canina. Livida lingua. Rhonchi. Thyestęę preces. Vipereum virus. Mœsonica dicteria. Hipponactæum præconium. Cuminum serere. (*serebatur olim male precando: ita credebatur feliciùs provenire.* Plutar.) Vitilitigator. Italo perfusus aceto. Plaustra convicijs onusta effundere (*De plaustro conviciabantur Satyrici*). Conviciorum plaustris onerare. Dentata charta [*Cic.*] Nasum Rhinocerotis habet [*Mart.*] Atro dente petere. Veneno madentia carmina. Rubiginosis dentibus rodere. Prurit calamus in ultores jambos. Virulenta scriptio, Nasonianis Diris referta. Sacras paginas scribere. Oedipi imprecatio. Tragica execratio. Alicujus facta arrodere. Cavillationes excudere. Jambis, verborum procella caput obruere. Spoliare fama probatum virum. Allatrare aliquem. Allatrator valentissimus. Rubigo dentium municipalium [*Mart.*] Sicam distringere in aliquem. Bovinari [*mugire in aliquem*]. Bovinator. Bovinatio. Morsu venenare (*Hor.*) Sycophantijs, contumelijs respergere. Jambis, tonitruis furere, debacchari. Sibilis proscindere.

Esse-

Efferatis convicijs discerpere. Lutulenta aspergine perfundere. Styli mucrone felle lito convulnerare. Opus scommatis, & sarcasmis compactum. Tellènis Tibicinis cantilena [*longa*, & *mordax*]. Famę alienę dilapidator. Omni illuvie dehonestare. Strigili suà defricare. Tela Lycambęo sanguine tincta, illita intentare. Tetra loligine aspergere. Carinare (*illudere*, *probra inijcere*). Carinator. Naves convicijs onustę. Pręceps libido maledicendi, scabiosus Genius, pruritus. Convicijs proluere. Bionęis sermonibus, & sale nigro uti (*Hor.*) Nigrę succus loliginis; scabies, ęrugo. Gannitibus improbis lacessere. Atris versibus oblinere. Stigmate nomen alicujus inurere. Nomini nęvum appingere. Notam, sordes allinere, aspergere. Atro calculo notare. Homo acidę, lividę linguę. Criminosissimus liber. Criminosissimè insectari. Carminibus maledicentissimis existimationem alicujus lacerare. (*Suet.*) Scommata edentata [*Macrob. h. minus aspera*]. Styli nasus (*Satyra.* Plin.) Calumniam supplodere [*supprimere*. Macrob.]

Malum. V. Fortuna, Utilitas.

MAlorum Ilias, Lerna, Penus, Thesaurus, Corbis, Crater, Plaustra, Acervus, Panegyris. Sybaritica clades (*Athen.*) Mala Niobes. Tragica, Ogygia mala (*Ogygia Thebanorum regio*). Tęnarium Malum (*Tanarus Laconum oppidum, in quo spelunca, unde ad Inferos aditus*). Oedipi imprecatio. Thyestęę preces. Phoci Convivium, Pręmium (*Phocus in convivio trucidatus*). Unum trium malorum [*vel gladius, vel laqueus, vel aconitum*]. Lemnium malum (*miserandum. In Insula Lemno Attica mulieres una cum filijs trucidata*). Ad Charontis januam ductus. Cum Philoxeno ad Lapicidinas damnari [*Dionysius hoc illum damnavit supplicio, quod ille Tyranni poemata minùs probaret*] Quantum Tyrus antiqua vivens vidensque perijt. Hydram secare. Ad malum mala plurima se agglutinant (*Plaut.*) Ingenium mala sępe movent [*Ov.*] Solent suprema facere securos mala (*Sen.*) Magna non latitant mala (*Sen.*)

[*Sen.*] Finis alterius mali gradus est futuri [*Sen*] Ubi uber, ibi tuber (*nihil tam felix, quin sit admistum adversitate*). Aurum e stercore colligendum (*nihil tam malum, quin aliquatenus prodesse queat*). Eucacôs (*Bene malè: quod vita humana prosperis, & adversis mista sit*). Bona separare non licet malis [*Eurip.*] Dies adimit hominibus dolorem. Plus aloes, quàm mellis habes (*plus molestiæ, quàm voluptatis*) Ignem igni ne addas (*Plau.*) Oleo incendium extinguere. Oleum camino addere. Malum malo mederi. Morbo morbum ne addas (*Eurip.*) Lutum luto purgare. Lis litem serit. De flamma fumus. Laqueo auxiliari. Mala res nota, optima [*Plau*] Suo jumento sibi malum accersere. [*sui mali causam esse*. Plaut.] Suo se gladio jugulare. Suo se telo confodere. Suo laqueo capi. Suo ipsius indicio perit sorex [*dum stridet*]. Hanc in te ipsum struxisti technam. Ipse Bos lora dat, quibus verberetur. Mala ad se trahit, ut Cęcias nubes. In Cœlum expuis (*quod in te recidat*). Samij literati [V. *Servitus*]. Pyrausta igne gaudes (*quo comburaris*). Colubrum foves. Camelus optans a Jove cornua, & aures perdidit [*Apolog.*] Tute hoc intrivisti; tibi edendum est (*Ter.*) Faber compedes, quas fecit, ipse gerit. Floribus austrum optas [*eis noxium*]. Camarinam moves (*qua palus siccata pestilentiam attulit*) Ipse sibi mali fontem invenit. Capra gladium reperit [*quo mactaretur*]. Perilli taurus (*in quo primus ipse omnium perijt*). Chironium vulnus (*immedicabile, quòd ab Herculis sagittis, Hydræ sanguine imbutis, Chironi factum in pede; unde perijt*). Fumum fugiens in ignem incidit. Cinerem vitans in prunas incidit. Aliquid semper mali a Vicino malo. Cum lecto polline furfurem permiscere (h. *Bono malum*).

Mansuetudo. V. Patientia, Urbanitas.

Oleo tranquillior. Cera tractabilior. Mitior agno, columba. Apio, spongia, agna Euganea mollior. Mactata lenior hostia. Columba sedens. Mollis medulla. Stomachum, manumque tenere [*iram cohibere*]. Leoni mor-

mortuo barbam vellis [*qui non irascitur*]. Boni viri lacrymabiles (h. *Pij*).

Medicina. V. Morbus, Remedium.

Memoria. V. Admonere.

Felix. Tanquam suum nomen; tanquam digitos, & ungues suos; ut digitos, oculosque suos, nosse, tenere. Meditatè teneo (*Plaut.*) Aurem sibi, alicui vellere. Quod durum fuit pati, meminisse dulce est (*Sen*) Dura satis miseris memoratio prisca bonorum (*Cor. Gall.*) Odi memorem compotorem (*Lucian.*) Acri, & felici memoria esse. Hoc in tua resideat, hæreat memoria. Altè in animum descendat tuum. In mente, ac cogitatione defige. Figendum, & memori tractandum pectore [*Juv.*]

Fluxa! Aliquid oblivione conterere, obruere, extinguere, ex animo obliterare. E memoria effluere, elabi, excidere. In omnium oblivione, & silentio jacere. Madida memoria [*fluxa*. Cœcil.] In vento, ac rapida scribere oportet aqua [*Catul.*] Amnestia (*Oblivio injuriarum perpetua*). Ollæ vestigium in cinere turbabis (*Dele ex animo quod offensionis insedit*. Plutar.) Campus Lethes. Letheis aquis immergere. Ventis omnia tradere. Perforato animo haurire, & transmittente quidquid accepit (*Sen.*) Mandragoram bibere (*quæ somnum inducit*). Prima languescit Senum memoria, Longo lassa sublabens situ [*Sen.*] Gryllo, Curione obliviosior. Proprij nominis oblivione captus. Nomen ejus perdidi [*Ter.*] Missum aliquid ex animo facere. Si interciderit tibi nunc aliquid, repetes mox [*Hor.*] Rem oblivio absorbuit. Semel elapsa, postliminio repetere.



Mem.

Mendacium. V. Astutia, Deceptio, Falsitas, Simulatio.

PUnica fides. Cretenses semper mendaces. Cretensis jurans (*cui nulla fides*). Ne jurato quidem credas. Sinone periurus magis. Pœno, Thessalo persidior. Deos absentes testes faciens. Impostor mendax. Vir strenuè mendax. Totus a mendacio compositus, fartus, conflatus, consutus dolis. Audacter, intrepidè mendax. Veri insolens [*Sen.*] Propola somniorum. Nundinator anilitatum. Nugivendulus. Petulans Scytha. Cilix haud facile verum dicit. Etiam verum dicens Mendax fide caret. Solus enim hoc Itachus nullo sub teste canebat (*Ov.*) Cui verba? quid istas succinis ambages? [*Pers.*] Pactum non pactum est; non pactum pactum est (*Plaut.*) Mera mendacia narras (*Sen.*) Fallacia alia aliam trudit (*Ter.*) Oportet, Mendacem esse memorem. Mendacium totius Nequitiæ fundamentum (*Pindar.*) Anaplasma (*Figmentum*, *Mendacium*).

Minæ. V. Timor.

COelum territare. Capite Cœlum perrumpere. Igni, ferroque minari. Ollas alere (*Athenis in tectis disponi solitas ad terrendas ululas*). Et mihi sunt hastæ [*Hom.*] Et meum telum cuspidem habet. Sequitur nostro de vulnere sanguis [*Turnus Virgil.*] Et mihi sunt vires, & mea tela nocent [*Ov.*] Si tibi machæra est, & nobis Urbina est domi [Plaut. *ùrbina telum oblongum*]. Venisti huc, ubi mures ferrum rodunt [*Sen. de Morte Claud.* q. d. *quales erunt homines?*] Tonitrus imbrem antecedit (*post minas verbera*). Tanquam tonitrualis Jupiter (*Apuleius*). Prorogativa fulmina (Sen. h. *quorum mina differri possunt, averti, tollique non possunt*). Fulgor ex pelui (*mina inanes*). Lamiæ turres [Tertull. *de re, quę fingitur formidabilis, cùm tamen omni periculo careat*]. Larvæ umbratiles. Maniæ (*Larva*, *Terriculamenta puerorum*). Lèmures [*Larva nocturna*]. Empusæ

[*Lar-*

[*Larvæ uno pede incedentes*]. Lamiæ (*Stryges, mulieres veneficæ*). Platage, es: Platagon [*Crepitaculum terrendis pueris ab Archita inventum*].

Miseria. V. Malum.

Moderatio, *Modestia*. V. Votum.

NEc omnia, nec passim, nec ab omnibus (scil. *accipienda*). Nosce te ipsum (*quam vocem Iuv. e Cœlo delapsam dicit nempe ab Apoll. Delph. Tribuitur autem Thaleti*). Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex (*Pers.*) Ne quid nimis [*Hom.*] Manu serendum est, non corbe tota (*Plutar.*) Ne Musicam turbes [*Plutar.*] Dimidium plus toto (h. *Mediocritas*. Hesiod.) Ne supra pedem calceus (*ne viribus majora suscipe*). Funem nimiùm tendendorum pes. Juxta terram navigatio, juxta mare ambulatio [*Plut.*] Arcum frangit intensio, animum remissio. Jucunda rerum vicissitudo [*Arist.*] Desideriorum vela contrahere. [*Cic.*] Intra naturæ fines vivere (*Hor.*) Natura tantulo eget (*Hor.*) Efficere pro suis opibus mœnia. Pusillæ aviculæ pusillos nidulos construunt. Neu desis operæ, neve immoderatus abundes (*Hor.*) Ardua res hæc est, opibus non tradere mores [*Mart.*] Animo compos (*Moderatus*. Ter.) Sit emendata voluptas. Inter emendatiores voluptates aliquid habere. Messe tenus propria vive. Tuo te pede metire. Intra Pelliculam tuam te contine. Tuo te metire modulo. Intra fortunam esse. Pennas nido majores non extendere. Presso lare vivere (*cum parsimonia*. Pers.) In tenues umbras humilem te collige [*Prop.*] Sit poscendi, sit reverentia dandi [*Prop.*] Attrahe lora fortiùs, & giro curre Poeta tuo (*Ov.*) Inter utrunque vola. Medio tutissimus ibis (*Ov.*) Contine medias manus [*Sen.*] Coercent se Modica (*Sen.*) Major medijs gratia rebus inest [*Cor. Gall.*] Medijs tua pinus in undis naviget [*Ov.*] Quisquis medium defugit iter, stabili nunquam tramite curret (*Sen.*) Mel summis digitis delibandus. Musicum, & mediocre convivium. Musica,

& fru-

& frugalis cœna. Musicus apparatus. Buccæ nosce mensuram tuæ. Pro re nitorem, & gloriam pro copia (*Plau.*) Zenone moderatior.

Mœstitia. V. Severitas.

BRiseide, vel Areopagita tristior. Areopagita (*Iudex severus in Græcia*). Qui Lætitiæ, vel Gratijs non litat. [*sic Plato ad Xenocr. discipulum*]. Gratijs lita (*Ne sis tristis*). Senio minutus (*tædio consumptus*). Fronte obducta, ceu Marsya victus. Satur vitæ sum [*Plau.*] Venerunt illi in odium bona sua [*Petr. Arb.*] Ipse sibi Minos, & Æacus. Expulit ex omni pectore lætitias (*Catull.*) Templum Trophonij adjit. In Templo Trophonij vaticinatus est (*Olim qui in Trophonii specum descendisset, creditus postea nunquam ridere*). De Trophonij antro aliquid referre. Quod ex Trophonij refers Oraculum? (*Eurip.*) Sinapi victitare, Cæpas edere, acetum bibere (*quibus vultus contrahitur, stillant oculi*). Agelastus [*sine risu, tetricus*]. Agelastia. Lycanthropus. Lycantropia [*Melancholia*]. Vultus sideratus. Titanicus aspectus. Frons in mœrorem crudissimum contumax. Rugæ frontis. Mens, frons, facies hispida, nubila, corrugata, contracta, striata, adstricta, consulcata, obducta, attracta, concreta, caperata, matutina, hirta, morosior. Frontem cotrahere, corrugare, &c. Quid frontem caperas? Deme supercilio nubem. Densissima ruga cogitur in frontem [*Iuv.*]

Molestia. V. Improbitas, Rixosus.

CRater malorum, litium [*homo molestiam creans*]. Onus navis, montis. Totus est ulcus. Ut fici oculis innati. Tanquam unguis in ulcere existens. Secundas res confricare (Cato h. *exasperare*) Gravius Ætna, vel Atho (*illa ignibus, illo umbra ad 300. stadia*). Lippo oculo similis. Se ipsum, suumque genium torquere. Ne bestiæ quidem ferre possent. Ut ficus oculis incumbit. Magnam dare alicui pugnam [*molestiam*]. Morosus, difficilis, durus.

Gra-

Gravis occurſu. Pacis inops. Crambe recocta. Crambe repetita mors eſt. Obtundit miſeros crambe repetita magiſtros (*Iuv.*) Eandem cantilenam canis. Eandem tundis incudem. Per eandem oberras chordam. Per eandem lineam ſerram reciprocas. Eandem volvis rotam, vel orbem. Ad eandem incudem redis (h. *eandem operam inſtas*). Terram video (*dixit Diogenes, cùm moleſtæ ſcriptionis finem videret*).

Morbus, & Medicina.

MOrbus chronicus, tenax [*longus*], Sonticus [*gravis*]. Sonticus morbus excuſat militem [A Gell.] Æger dubius. Curentur dubij Medicis majoribus Ægri (*Iuv.*) Per medium anulum trahendus (*emaciatus*). Æger depoſitus, conclamatus, cujus conclamata ſalus, de cujus ſalute conclamatum eſt, cujus ſalus deterrimum in locum venit, adducta eſt. Cauſarius, ſonticus, valetudinarius, *Æger*[*e.g. Miles, qui propter honeſtam valetudinis cauſam à militia ſolvitur*]. Pulſus formicans maximè lethalis [h. *debilis*, *frequens*. Plin.] Venarum inæqualis, aut formicans Percuſſus. Venarum deflagratio. Impetus morbi lenitus eſt. Motiunculis levibus tentari [Suet. *de levi morbi acceſſiuncula*]. Surgit tacitè tibi lutea pellis [*Perſ.*] Obnoxium Corpus (*Valetudinarium*).

Non intellecti nulla eſt curatio morbi (*Cor. Gall.*) Remedium abſolutorium [*liberans*]. Herba expugnans, expugnantior, operoſa, præſens. Utere tentatis operoſæ viribus herbæ. Nulla magis præſens fortuna laborum eſt (*Virg.*) Ægrum explicare [*ſanare*]. Continuò ferro culpam compeſce [*Virg.*] Alitur vitium, vivitque tegendo [*Virg.*] Medicas adhibere manus (*Virg.*) Elleborum fruſtra, cum jam cutis egra tumebit [*Perſ.*] Morbi reliquias abſtergere, excutere. In gratiam cum corpuſculo ſuo redire. Labefactatas longiuſculo lectuli attritu vires confirmare. Eodem collyrio mederi omnibus. (*Imperiti Medici eſt*). Tuſſim linctu ſalis diſcutere (*Plin.*)

Mores mali. V. Improbitas.

Mors.

ÆTatis, vitę fabulam peragere, absolvere. De pręsidio, & statione vitę decedere. Ex hac turba, & colluvione discedere. Supremum vitę actum absolvere. E Corporis ergastulo, carcere, vinculis solvi, liberari, evolare. Vita spoliari. Rebus humanis eximi. Vita exautorari, exautoratus. Animam ebulijt (*Sen. de mor. Claud.*) Animus se ex corporis vinculis relaxavit. Pręnavigavimus vitam [*Sen.*] Vitam extorquere alicui. Spiritum elidere. E viventium numero expungere, exturbare. Ad Charontis januam duci. Mortem sibi authorare [*Quintil.*]

Munera. V. Liberalitas. *Mutabilis*. V. Inconstantia.

Necessitas.

INgens telum Necessitas. Magistra Necessitas doctum facit. Diomedęa Necessitas (*Cùm quis vi adactus quid facit. V. Manut.*) Necessitas ferijs caret. Sontica causa (*iusta*). Fatum immutabile. Factum infectum reddi non potest. Feras, non culpes, quod vitari non potest. Omnia esculenta obsessis sapiunt. Nemo cogendus amicus. Panis prior prora.

Negligentia. V. Ignavia, Diligentia, Conatus, Otium, Consideratio, Contemptus.

LAxo fune laborare, omni fune, vel rudente remisso. Molli, levi brachio, manu aliquid agere. Somniculosè, oper-

opertis oculis agere [*sine consideratione*. Sen.] Ferre sinu laxo. Munus aliquod claudicat. Conglaciat tribunatus (*Cic.*) Supinè, supiniùs tractare aliquid, Indiligentiùs, de summo pectore. Mutilum, truncum, dimidiatum se in re aliqua præbere, Indiligenter hic eram [*Plau.*] E mansor [*vagans*] lentus, dormitans, securus, supinus, oscitans, indiligens, instrenuus Animus. Inenodabilis capillus diutinà incurià (*Apul.*) Negligentia impediri.

Negotium. V. Difficile, Occasio.

TElam exordiri. Ea tela texitur. Duram capere, suscipere provinciam. Spartam aliquam nancisci, ornare. Provinciam aliquam alicui demandari. Provinciam egregiam aggredi, ingredi, inire, gerere, procurare. Onus aliquod in se suscipere. Magnum literarum onus, magna provincia. Hęc prora, & puppis. Hic est cardo rerum. Hic rerum cardo vertitur. Ne otium quidem habere otiosum. Ne ad aurem quidem scalpendam ocium est (*Lucian.*) Negotium dapaticum [*amplum, magnificum*]. Megalemporos (*Negotiator magnarum rerum*). Homo subbasilicanus (*Negotiatur; qui sub Basilicis, ubi negotia tractantur, frequent versatur*). Frons occipitio prior (*h. ordine agendum*). Intervalla negotiorum otio dispungere [*Vell. Pat.*].
In alieno choro pedem ponens [*aliena curans*]. In alienam messem falcem immittere. Ne depugnes in alieno negotio (*Hom.*) Quę supra nos, nihil ad nos (*Socr.*) Utere curru, de asinis nihil laborans. [h. *sua quisque curet: cui enim plaustrum est domi, non est necesse asinos conducere aliunde &c.*]

Nobilitas.

CEcrope nobilior, Codro, Sparta. Thusco Partu generosior. Jovis germen. Admotus per Avorum nomina Cœlo (*Prop.*) Inter cognatos posse referre Jovem [*Prop.*] Avis ex avibus [*e sublimibus sublimis*]. Cera, & ære, vel ceris, & imaginibus nobilis. Avito stemmate, & nominibus clarus. Imaginosa Domus, Propago, Stirps [*imaginibus*

bus

bus clara]. Fumosis clarus imaginibus. Domi nobilis. Summo loco natus. Primo gradu sedens. Quem veterum commendant magna parentum Nomina [*Ov.*] Veteris Quinquatria ceræ (Ov. *Quinquatria, Porticuum quinque ambitus*). Prisci vetus ordinis Hæres (*Ov.*) Imaginibus, & avitis fulta triumphis Atria. Pleni numeroso Consule Fasti [*Ov.*] Lunata pellis, aluta, calceus [*a lunulis, quas in pedibus Patricij gestabant*]. Mæonia generose Domo [*Virg.*] Ceræ Quiritum, Cæsarumque lemnisci. Signat patricium Luna Quirina pedem. Sanguine longo censeri (*Iuv.*) Majorum umbræ nobiles. Plenus Nerone propinquo [*Iuv.*] A Pico numerans genus (*Iuv.*) Omnem Titanida pugnam Inter Majores, ipsumque Promethea pone [*Iuv.*] Contingere sanguine Cœlum (*Iuv.*) Stemmate quòd Thusco ramum millesime ducas (*Pers.*) Magnis e Centurionibus ortus (*Hor.*) Rigida Fabiorum gente creatus [*Mart.*] Tanquam habeas tria nomina [Juv. e. g. *P. Cor. Scipio: quod Nobilium Rom. proprium*]. Auream bullam gerens Etrusco more [*Nobiles pueri Etrusci auream bullam figura cordis collo appensam gestabant*]. Prisco natus ab Inacho (*Hor.*) Insignes Cera loquitur avos. Vetustos porticibus avos disponere. Numerare in dote triumphos (*Juv.*) Amplioris fortunæ domus. Vir lato clavo (*veste Senatoria*). Nubere lato clavo (*Senatori*). Cunas nobiles habere. Veteris prosapiæ, multarumque imaginum vir. Latis titulis inclytum genus. Jactans & genus, & proavos. Atria innumeris arctat imaginibus [*Mart.*]. Atavorum antiqua sonans nomina. Cui generis Iupiter auctor. Longum Stemma repetens a Læda [*Mart.*] Trabeatus, Anulum gestans. (*Nobilium Insignia*).



Noce-

Nocere. V. Malum, Utilitas. *Nodus.* V. Vinculum.

Noscere. V. Veritas.

INtus, & in cute aliquem noscere. De facie aliquem noscere. Nescio utrum sit ater, an albus homo (*Catull.*). Planè alicuius animum tenere; mentem, consilia, studia, cumulatè, adamussim, undequaque comperta, explorata, perspecta habere. Alicuius sensus sibi penitus, usquequaque patere. Summam operis cutem intueri. Res bellissime intelligitur. Hoc teneo tanquam meum nomen, meos digitos.

Novitas. V. Principium.

Nugæ. V. Vanitas, Labor inanis.

TRicæ, Apinæ, Gerræ, Bullæ, Verrucæ, Quisquiliæ, Nuces, Crepundia, Fabulæ, Næniæ, Affaniæ, Alogiæ, Inaniæ, Ineptiæ, Offuciæ, Præstigiæ, Nugamenta, Nugaria, Nugatoria, Commenta, Avocamenta, Ridicularia, Jocularia, Anilitates; Anilia, Vitiligines, Dicibula (h. *puerilia. Tertull.*). Buttubàtæ [*nugæ nullius pretij.* Scal.]. Res nihili, frivolæ, futiles. Futiles næniæ, tricæ aniles, Fabellæ inanes, Milesiæ. Cantilena e Scholis. Nugæ anicularum, Merissimæ nugæ, Gerræ meræ. Gerræ germanæ. Res ludicræ, & scenicæ levitatis. Ineptiæ supinæ turbæ. Præstigiæ verborum. Levium sophismatum commenta. Miseræ ludibria chartæ. Callimachi, vel Orestis somnia. Inania verba. Res nugatoriæ. Sine mente sonus. Nugæ aniles gratis confictæ. Puræ putæ fabulæ. Vulgi apinæ. Barbaricæ næniæ. Seculi ineptiæ. Iberæ næniæ. Fabulæ Romanenses [*Romanzi*]. Nugæ pulvere, & vento leviores. Hariolationes, Divinationes nu-

nugis simillimæ. Quas non fricti ciceris putet emptor. Inter gerras, ac furfures seponendæ. Adoleschiæ (*garrulitates*). Adoleschus, Calophanta [*lepidus nugator*]. Nugax homo; Nugigerulus. Nugigeræ manus. Nuces repetere. Ad nuces redire. Nunquam a nucibus abstinere. Affixum tricis detineri. Curandis gerris operam ludere. Procurandis quisquilijs otium, &operam abuti. In nugas se effundere. Jocularijs, Nugarijs, Ridicularijs se totum tradere, dedere. Iocis, & ridiculis ludere, eludere, operam dare, tempus, otium fallere. Ridicula jacere, mittere, jactare. Ineptire, ineptias agere, nugis totum occupari. In anilibus tricis hærere. Adolescenturire. Repuerascere. Fescenninos jocos, Milesias fabulas obtrudere. In fictis, facetisque sententijs regnare, dominari. Lusus ludere, non Archimedæos, sed inanes, absurdos, inficeto rure inficetiores. Inanes gerras consarcinare. Turpe est, difficiles habere nugas (*Mart.*).

Nunquam. V. Impossibile.

AD Gręcas Kalendas. Anno Platonico. Magno Platonis anno [*nunquam venturo*]. Cum mula pepererit. Cum Cœlum ruet. Cùm Lunæ radijs maturescet botrus. Cùm Nibas coccyssaverit (*Thessalonica locus, ubi galli non canunt.*). *&c.*

Obedientia.

EQui frȩnato est auris in ore [*Hor.*]. Dicto audiens. Imperij audiens. Alicujus nutum intueri, sequi. Mandata digerere, exhaurire, perficere, exequr, persequi, capessere, facessere. Se totum ad alterius arbitrium fingere. Servire imperio. Dictum factum reddere. Iube: in quovis loco paratus sum [*Ter.*]. Non moror imperium tuum (*Pet. Arb.*). Legibus uti. Imperium pati. Obnoxius[*obediens, supplex*]. Submittens animos ultro. Submitte caput, cervice parata ferre jugum. Sta celer obsequio. Auscultare, morem gerere alicui. A legis prȩscripto ne latum

tum quidem unguem discedere. Transversum unguem, vel digitum non discedere. Pedem nunquam discedere, Ne altero quidem pede discedere. Esse obnoxium alicui [Sall. *morem gerere*].

Contra. Mordere frænum. Jugum excutere, jactare. Habenas legis, consilij non audire. Ab imposito jugo resilire. Nisu, ac renisu imperium excutere. Mandata fallere, frangere. Dicto audientem non esse. Obsequium denegare. Morem non gerere. Nec obedientis animi crimen. Retrogradę mentes. Agamennonis hostia (h. *invitè*, & *coactè agere*).

Oblivio. V. Memoria.

Obscuritas sententiæ. V. Occulta.

Cimmerię tenebrę. Scytale Laconica. Problema Archimedęum. Platonici Numeri. Platonicis numeris obscurius. Scripta, quibus opus sit Delio natatore. Nebulis, & caligine tecta. Non Sus quivis intelligat. Davus sum, non Oedipus. Sphinx loquitur. Phœbeo acinace opus est ad hoc dissolvendum. Nec per nebulam apparet. Errorum Labyrinthus. Mæandrum dixeris, aut si quid Męandro tortuosius. Męandris, girisque obvolutum. Vinculum, Rete Vulcanium. Nodus Herculanus, Gordianus, Cassioticus. Bœoticum ęnigma. Protagorę sophisma. Scytale, gryphus indissolubilis. Lycophrontis tenebrę. Involucris obseptum opus. Furtivum Scriptum, Latebra scribendi, Literę secretiores, Profunda quędam, & inopinabilis latebra (vulgò *Cifre*). Vide pag. 176.



Obstinatio. V. Obedientia, Arrogantia, Audacia, Impudentia.

Occasio. V. Discrimen,

ANsam, copiam, locum dare, præbere. Ansam porrigere, arripere, quęrere, pręterire, largiri. Gladium dare. Aditum, viam, januam, aperire, pręstruere, sibi munire ad &c. Causam, tempus, locum capere, captare, arripere, aucupari, nancisci. Opportunitatem adipisci ad fortunam. Fenestram ad nequitiam patefacere [*Ter.*]. Occasioni, in occasionem imminere. Campus idoneus, amplus, patens, in quo opera, labor, industria excurrat, ingenium exultet. Repagula aperire. Dum ferrum calet, cudendum. Nunc tuum ferrum in igne est. Non semper ęstas. Æstas non semper fuerit: componite nidos (*Hesiod.*). Crines capere. Fronte capillata, post est Occasio calva. Ventis vela permittere. In liquida nat tibi linter aqua [*Prop.*]. Nullum locum prętermittere. Ut prima effulsit occasio. Ultro se suggerentibus causis. Commoditatis omnes articulos scire (*Plaut.*). Res est in cardine, in articulo. Flamma fumo proxima. Spartam, quam nactus es, eam orna. Scenę servire, obsecundare. Tempori, temporibus servire, cedere, parère, obsequi, consulere. Uti tempore, foro. Alcibiades alter [*qui apud Iones deliciis, ap. Thessalos militiæ, ap. Thebanos rei rustica deditus*].

Occisio. V. Mors.

Occulta. V. Obscuritas, Silentium, Curiositas.

SUbtunica, sinu, pallio condere. Clam per cuniculos, & incilia. Furta (*quæcunque delicta clanculum fiunt*). In tene-

nebris saltes. Quod scis, nescis [*Ter.*]. Occultę Musicę nullus respectus (*Suet.*). Plutus cęcus [*Opes reconditæ, quæ nulli prosunt*]. Opertanea Sacra, Sacra Bonę Deę, Attici Eleusina (*Sacra Cereris, & Bonæ Deæ, occultè fiebant*). Monstrum alere [*quod paucis ostenditur*]. Tectaque sint solida mystica Furta fide [*Ov.*] In angulo aliquid agere. Summo pede, summis pedibus ingredi. Dicere in aurem. Gygis anulum gestare.

Occupatio. V. Negotium, Otium, Ignavia.

Odium. V. Ira.

ODium agreste, novercale, Vatinianum, Clodianum. Agresti odio laborare. Cane pejus & angue odisse aliquid. Ne vià quidem eàdem mecum ambularet. Vià non gradiuntur eàdem. Archidami bellum. Empedoclis simultas. Expectatum salutat ut canem (*Plau.*). Ut lupus amat ovem. Odiorum semina, faces. Sępe tacens odij semina vultus habet [*Ov.*]. Odium tegere, premere, concoquere. Id sanè est invisum, acidumque (*Hor.*). Nauseat, atque oculis bilem substringit opertis (*Iuv.*). Immortale odium, & nunquam sanabile vulnus (*Iuv.*). Jejunum odium (Iuv. *Impasti atrociori odio furunt*). Invisum Caput. Odio prępeditus. Inimicissimus est oculis meis (*Pet. Arb.*). Hujus rei tędio non modò Cumas, sed ad Garamantas fugerem.

Odor. V. Ornatus. *Opinio de se ipso.* V. Adulatio.

Oppositio. V. Differentia, Comparatio.

GEminos, Horoscope, varo producis genio [*Pers.*]. Vesania discors (h. *discolor, dissimilis.* Hor). Loripedem Rectus derideat, Æthiopem Albus [*Iuv.*]. Janus inest.

Inter Lędęos ridetur corvus olores [*Mart.*]. Secum pugnare. Sibi non constare. A se discedere. A se, vel secum, diffidere, discrepare. Pugnantia loqui. Antilogijs se configere. Alicui reclamare, reluctari, refragari. Ferulam contra aliquem movere. Adversus aliquem tendere. In aliquem allatrare.

Optimus. V. Dignus, Excellentia, Perfectio. *Opus egregium*. V. ibidem. *Ordo*. V. Negotium.

Ornatus. V. Pulchritudo, Vestes, Literaria.

Bellus homo, totusque ex pyxide, recens de pigmentario. Mellephebus cincinnatulus. Mellonymphus Philocosmus. Myrothecium nuncupes. Moschum, ambar, laser, integram olet Seplasiam, totam spirat Arabiam Cyprio pulvere pruinosus, Panchæo nectare temulentus. Fine coli modico Forma virilis amat (*Prop.*). Fucus, picti doli, mendacia colorata. Deprensos castigat spongia nævos. Munditiis annorum damna rependere [*Ov.*]. Medicamina formæ, picta venena, fex illita vultu. Medicina figuræ. Naturę decus mercato perdere cultu. Rugas aniles arte emendare. Formosus sine pulchritudine. Calathum Sycaminorum in malis habere. Videris ipse Sycaminorum Calathus (*in eos, qui faciem hypopio, cinnabari, stibio, cerussa fucant*). Lenocinia adscititia. Adulterini fuci. Exotica condimenta, pigmenta. Cretata, lutata cutis. Deliciæ molles (h. *elegantes*) Lunata Splenia fronte sedent (Mart. *Splenia ad modum lunæ disponebantur*). Mundus muliebris, Mundus augustalis. Omnes elegantiæ numeros implere.

Capilli. Capillum frangere [Sen. *de Calamistratis*]. Rutilare, & submittere comam [*Suet.*]. Caput multiformi cincinnorum cumulo variare. Capillum scitos in angues Cini-

niflonum operà per amicam injuriam calamiftri fingere. Sudare, ne quid exerret, deliret, peccet Capillus contumax, neu de ftatione recedat devius, aut transfuga temerarius rebellet. Caput, fuggeftum capitis, comæ, ædificare. Altum Caliendrum. Exotica crinium impoftura. Coma adfcititia, fubditi ia, adulterina, captiva, adoptiva, conducta. Vertex tutulatus. Frons pinnata, turrigera. Flexos ordine crines digerere (*Mart.*). Comam difponere. Operofus comà, vel ornandis capillis. Compofita in ftatione coma: recompofita, dividua. Docilis, & centum flexibus apta. Quam acus, & pectinis vallum digeffit. Gradatim, alveolatim, anulatim, undulatim compta, digefta: in fluctum pofita. Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum ædificat caput [*Iuv.*]. Legem capillo reddere (*Claud.*). Crines induftria format plicatiles. Geometriam exercere in cilio, vel capillo [*Iul, Poll.*]. Odoratos pofitu variare capillos (*Ov.*). In cirros torquere. Flexus ad pectinem capillus. Speculum rapuit, & vultus omnes tentavit [*Pet. Arb.*]

Otium. V. Ignavia, Negotium.

OTiofis non adeft Deus. Amant longa otia culpam (*Aufon.*). Otium fine literis mors, & vivi hominis fepulchrum [*Sen.*]. Otia fi tollas, periere Cupidinis arcus [*Ov.*]. Defidiam Puer ille fequi folet, odit Agentes (*Ov.*). Temporis dilapidatio. Luculentus Ceffator. Ferias agere. Feriatus, malè feriatus. Vacuum effe, inanem, ceffantem, difcinctum. Apragmon (*negotiis vacuus*). Apragmofyne [*Ceffatio a negotiis*]. Parcus laborum. Vacuis fedem figere Cumis (*tranquilla urbe*. Hor.). Vacunæ, & Paufo litare (*Otioforum Dijs*). Vacua tonforis in umbra [*Hor.*]. Albo pallet otio (*Mart.*). Diffolvere fe. Congelare otio, marcere, torpefcere. Conglaciat Tribunatus Curioni [h. *Nihil agit Curio*. Cœl. ad Cic.]



Paratus.

IN Anchoris ſtare. Promptus, expeditus, acer, induſtrius, in agendo celer, haud imparatus.

Parſimonia. V. Paupertas.

Patientia. V. Fortitudo.

LEvius fit patientia quidquid corrigere eſt nefas (*Hor.*). Cedamus: leve fit, quod bene fertur onus (*Ov.*). Quod male fers, aſſueſce, feres bene (*Ov.*). Dum vires, annique ſinunt, tolerate labore (*Ov.*). Compoſità vulnera mente feras [*Ov.*]. Poſſe pati, facile eſt, tibi ni Patientia deſit [*Ov.*]. Dura Laconum, vel Laconica patientia aliquid concoquere. O te cerebri felicem [*lenem*, *patientem* Hor.]. Odia non ſorbere ſolum, ſed etiam concoquere. (*Cic.*). Vires pelle, pondusque mali [*Sen.*]. Leve eſt, miſerias ferre, perferre grave eſt (*Sen.*). Quò plura poſſis, plura patienter feras (*Sen.*). Perfer, & obdura [*Ov.*]. Qui ſilet, eſt firmus [*Ov.*]. Perpeſſitius [*Sen. qui patiendo aſſuefactus*]. Alta mane, ſupraque tuos exurge dolores (*Ov*). Hac Ægide utere. Hoc te clypeo tuere. Humanis altior malis. Fortior cladibus. Regium hoc ipſum reor, Adverſa capere [*Sen.*]. Haud eſt virile, terga fortunæ dare [*Sen.*]. Non imparatum pectus ærumnis gero (*Sen.*). Superat, & creſcit malis (*Sen. de Herc.*). Perferre molem mali. Fortunę reſponſare ſuperbę [*Hor.*]. Adverſis rerum immerſabilis undis (*Hor.*). Stare animis. Vir firmo pectore. Explicata fronte, ſecuro animo non pati tantùm caſus, ſed & laceſſere. Animus infragilis, inconcuſſus, inexpugnabilis. Pectus vinci neſcium, vividum rebus, infractum. Victas magno pectore ærumnas doma [*Sen.*]. Gaudet Patientia duris. (*Ov.*). Patientior Socrate. Æquam memento rebus in arduis ſervare mentem [*Hor.*]. Hoc Catone contenti ſumus [*Caſ. Auguſ. dictum*].

Thio-

Thiodamas cum Hercule (*Fortem frustra circunlatrant Blaterones*).

Patrocinium. V. Defensio, Auxilium, Securitas, Spes, Fortuna.

ESse alicui instar Aræ, loco Asyli, Hermionis vice. Mecenas, Palinurus alter. Clypeus. Pierij tutela Chori. Tu nanti protende manum. Cæptæ fautor cape lora juventæ (*Prop.*). Dextera & immissis da mihi signa rotis (*Prop.*). Da vela secunda. Te Patria Vindice freta. Dexter ades. Sum quodcumque, tuum est. Da modò te facilem. Possumus lucem sperare novam, si quid modò lætus annuis, & nostris subscribis candide votis [*Ov.*]. Ceu Numen, & sacer Genius, Assertor, vindex. Festina tibi vindicem parare [*Mart.*]. In meis castris, presidijsque versatur (*mecum facit, mihi favet*). In te sitæ sunt omnes spes, opesq; meæ (*Ter*). Quæcunque mihi fortuna, fidesque est, in vestris pono gremijs (*Virg.*). Ad aliquem, tanquam ad Aram, Asylum, Arcem, Anchoram sacram, confugere.

Paupertas. V. Avaritia, Desperatio.

APoria. Fortuna tenuis, sordida, urgens. Res angusta. pertenuissima (*Sen.*). Permodica res familiaris. Curta supellex. Res accisæ, afflictæ, imminutæ. Sordida Otia (*Mart*). Angustæ sordes, fortuna, penates. Parva domus, tecta, lares. Vita doliaris, municipalis, agrestis, arida, horrida, inculta. Sine arte mensa [*frugalis*]. Cœna sine sanguine, rustica, terrestris. Victus Spinosus. Telemachi olla. Prandium sine vino, Sacrum sine fumo. Toga vel focus algens. Gelida lacerna. Famis Campus [*Locus Athenien. ad piandam famem ab Oraculo jussus*]. Fames Saguntina, Meliæa, Solymæa. Fames magistra. Multa docet fames. Paupertas educat sapientiam. Indigentia mater sanitatis. Venter mirus Artifex; Magister artis, ingensque largitor (*Pers.*). Res mihi ad rastros redijt (*ad*

rem

rem rusticam]. Theaginis, vel Æschinis pecuniæ [*qui ditiores videri volebant , quàm essent*]. Ne tempestas quidem ei nocet [*quia agros nullos habet*]. Mendico, ne parentes quidem amici sunt. Centum viri unum pauperem spoliare non possunt. Araneis abundat [*Hom.*]. Plurima sunt, quæ non audent homines pertusa dicere læna (*Iuv.*). Græculus esuriens, in Cœlum jusseris, ibit (*Iuv.*). Nigros non indignantia fumos tecta (*Mart.*). Male compactæ culmina fulta casæ (*Mart.*). Res mea Janum ad medium fracta est (Hor. *Ad Ianum fœneratores*). Hiems, & frigora trita succincti lateris (*Mart.*). Toga anus & tremulo vix accipienda tribuli [*Mart.*]. Cerea quem nudi tegit uxor Abolla grabati (*Mart.*). Inter delicias quid facit ista fames ? (*Mart.*). Mensa divitijs ruris operta fui. [*Mart.*]. Nec toga; nec focus est, nec tritus cimice lectus [*Mart.*]. Non est Paupertas, Nestor, habere Nihil [*Mart.*]. Ædes, quas noctua vellet esse suas (*Mart.*). Et teges, & cimex, & nudi sponda grabati [*Mart.*]. Tristis nullo qui tepet igne focus. Rupta pes vagus exit aluta (*Mart.*). Rupta calceus pelle patet, vel si consuto vulnere crassum, atque recens linum ostendit non una cicatrix (*Juv.*). Nil habet infelix Paupertas durius in se, quàm quòd r diculos homines facit. [*Iuv.*]. Libertas Pauperis hæc est; Pulsatus rogat, & pugnis concisus adorat, ut liceat paucis cum dentibus inde reverti [*Iuv.*]. Cantabit vacuus coram latrone viator [*Hor.*]. Sordes farris mordere canini. Pauperi vitulus est Castrum. Aranearum aulæa vestiunt muros. Vacua oscitat arca. Culina gelida ferias ducit. Ibit eò, quò vis, qui zonam perdidit [*Hor.*]. Toga, calceus, panis, & fumus domi (*Hor.*). Ad pristina præsepia redigi (*e vita lautiore ad pristinam tenuitatem*). Sale, & cumino vesci. Rore, ut cicada, pascitur. Cicatricosum pallium, pileum, calceus. Iro, Codro, Telenico, Hecale, Homerico Iro, Paupertate ipsa pauperior. Nudior leberide. Pausone mendicior. Macilentior Thaumantide, Leoprepide. Philippide. Capite diminutus. Ad incitas redactus. Animam debet. Decoctus facultatibus. Fortunis lapsus, eversus, provolutus. Achrematos (*sine are*). Vix pelle sua tectus. Pistil-

stil-

ſtillo, paxillo nudior. Inopia affectiſſimus [*Vel. Pat.*]. Deceptus, & expes nequidquam fundo ſuſpirat nummus in imo (*Per.*). Errat inops animi, dubius cœnæque, lariſque. Alieno vivens furno. Mendicabulum. Pane ſecundo, tertiario, & urtica victitans [Hor.] Aliena limina luſtrans (*Ov.*). Cincli (*Pauperes ab imbecilla Ave ſic dicti*).

Perfectio. V. Dignus, Diligentia, Excellentia.

QUadratus homo (*Abſolutus*). Rude donatus. Qui ſine cortice nat (*auxilio non egens*). Homo graphicus, ad unguem factus, omnibus numeris abſolutus; in quo eſt Attica elegantia. Ipſa eſt Attica elegantia. Conſummatiſſimus vir. [*Tac.*]. Copijs idoneis inſtructus. Navigaſti uſque ad Phaſin [*extremum curſus tetigiſti*]. Tibi lampada trado (*ut in labore ſuccedas*).

Opus, cui extrema manus, faſtigium, coronis acceſſit, Numeris omnibus abſolutum, Muſicè, graphicè, pergraficè factum, perfectum ex toto, rectè, atque ordine factum, cui nil vitioſi, & corrupti; quod eſt veluti Gnomon, & Regula, Græcanica Regula, & Amuſſis. Quod ſtat recto talo Polycleti Norma. Ultra Gades, & Herculis columnas. Quod vèl Momo valeat ſatisfacere. Res optimæ, primæ claſſis, notæ, de meliori nota. Cretà, Creſsà notanda. Stellis ſignanda [*ut Ariſtarchus verſus Homeri diſtinxit adulterinos veru figens*]. Gemma, unione, adamante, lacteà gemmà notanda, Iovis auribus ſervanda, quanti vis pretij. Lydia arena. Res omnium numerorum, conſummatiſſima. Quam non Cecropiæ damnent Pandionis arces. Palatino delubro digna. Cælatum novem Muſis opus. Colophonem, Colophonium faſtigium, ſummam manum addere, Coronidem imponere alicui rei. Supremum fabulæ actum agere. Ad umbilicum rem perducere, ad apicem, ad coronidem uſque ad faſtigium. Circulum abſolvere, e. g. Diſciplinarum. Detritus homo in aliqua re [*A. Gell.*]. Nicoſtrati more (*h. egregiè*).

Con-

Contra. Quod extremam manum expectat, implorat, &c. (h. *Imperfectum*). Nondum in apio est [V. *Principium*].

Periculum. V. Discrimen. *Perfidia*. V. Astutia. *Pertinacia*. V. Arrogantia, Audacia.

Perseverantia. V. Fortitudo, Patientia, Obedientia, Assiduitas.

IN re aliqua, tanquam ad Sirenum scopulos consenescere. Apud Sirenas, & Lotophagos hærere (*A. Gell.*). Sapientia in exitu cernitur (*finis vitæ spectandus*). Spiritus, ubi incipit, fortior est; defectior, ubi desinit. Tanquam Polypus scopulo affixus. Ne altero quidem pede, ne latum quidem unguem discedere. Labor omnia vincit improbus.

Pigritia. V. Ignavia. *Pinguedo*. V. Voluptas.

Pœna. V. Crudelitas.

QUod quisque fecit, patitur. Auctorem scelus repetit (*Sen.*). Deo vindice ultima experiri. Cujus supplicio non debuit una parari simia, nec serpens unus, nec culleus unus (*Iuv.*). Iure cæsus. Ultores superos passus. Pati carceris uncum, aut maris Ægei rupem, scopulosque frequentes Exulibus magnis (*Iuv.*). In ergastulum, & latomias conjectus, ad Gaudinas furcas mittendus, Ad Gemonias damnatus (*s. scalas, unde præcipitabantur rei, ut Sejanus, &c.*). Carnificinum cribrum te faciam (*Plau.* h. *plagis, ut cribrum, perforatum*). Irrigatus plagis (*Plau.*). Verberibus depectere, depexum reddere, demulcere, emollire, mollem reddere. Metuens pendentis habenæ (*Hor.* *fustis*). Nodosam virgam frangere vertice (*Iuv.*). Caput baculo comminuere, Fuste aperire. Solea rubrica objurgari (*Pers.*). Væ illis virgis, quæ in tergo morien-

tur

tur meo [*Plau.*]. Flagris secare, sectus. Dolare fuste saligno lumbos. Obiurgare ferulis (*Suet*) Contra Retiarium ferula (*Gladiatores inepti ferula eijciebantur*). Phryx plagis melior fieri solet. Dare in laqueos vestigia. Tortile spartum nectere in laqueum. A tigno se nectere. [*se suspendere*]. Infame tignum, tigillum, suspendium. Suspendiarius, funi addictus. Cruciarius. Pascere in cruce corvos. Abi ad corvos, ad crucem. Crucem pretium sceleris ferre (*Juv.*) Ad Crucem, ad catastam, ad collariam damnare. Legum prima Securis (Juv. h. *efficacissima ad homines in officio continendos*).

Pœnarum genera varia. Colasterium [*locus tormentorum*]. Arca robustea [*locus in carcere lignis septus*]. Eculeus, Fidiculę [*funiculi, quibus facinorosi in eculeo distendebantur ad extorquendam veritatem*]. Ungulę [*bifida ferramenta, quibus latera lancinabantur*]. Laminę (*candentes ferri maßa*). Tunica molesta (*pice illita, Incendiariorum supplicium, quo Nero Christifideles affecit*). Uncus [*quo impacto Rei ad Gemonias trahebantur*]. Catasta (*Machina, in qua ad supplicium pendebant rei*). Catulus ferreus (*instrumentum, quo divaricato Rei comprehendebantur*). Numellę [*vinculum, quo pedes vel cervix includebatur*]. Columbar, Cippus, Boiæ (*compedum genera*). Taureæ [*lora e corio bubalo*]. Scorpiones [*spinosa virga ad laniandos artus*]. Plumbata (*lora, in quorum extremitate pilula plumbea dependebant*). Culleus [*saccus e sparto pice illitus, in quo Parricida cum simia, serpente, & gallo insuti demergebantur in mare*]. Collaria forensis (*anulus, quo Rei vinciuntur in foro*). Gyrgathus (*lectus, ubi insani, vincti retinentur*). Venarum incisio (*Supplicium Neronis tempore usitatum, quo Seneca, Lucanus, & Trasea Philosophus affecti sunt*). Crurifragium (*Crurium elisio, tibiæ fractio*) Distractio (*in diversum equis, vel quadrigis, vel navibus differri*). Ad antliam damnatus [*ad aquas antlijs hauriendas*]. Remo publicæ triremis affigere. Latomiæ Syracusanę [*Carcer a Dionysio Syracusis factus, sunt etiam loca ad excidenda saxa, sive Lapicidina*] Ad, vel in Latomias damnatus. Ibis porro in Latomias lapidarias [*Plau.*]. Carcer Mamertinus Romæ. Barathrum Atheniense. Ceas sparta-

tanus. Profundum maris Cyzicenum (*fovea profunda, cœnosissima, in qua D. Paulus fuit*) Ancon Cartaginiensis. Thusca Ergastula [*Quo Rei ad ferri fodinas mittebantur*]. &c.

Pœnæ militares. Ære dirui (*stipendio legitimo spoliari*). Ære dirutus. Hastam dare. Extra oppidum hibernare. Hordeo pasci. Virgis cędi. Vęnire. Fuste, & securi percuti. Decimari. Baltheo privari, in crucem tolli.

Pœna voluntaria. Genium defraudare [vulgò *Mortificarsi*]. Tortilis affrictu, morsuque metalli dilacerare latus. Sutilibus rubis sinum vellicare, latus increpare. Irrigare plagis terga, flagris inscribere, conscribere. Membra hispida zona, hirsuto vellere, setis acutis, horrente lorica, echinata acu, aspero cilicum textu, Cyniphijs villis, equinis setis, setosa, rigenti tunica figere, ferire, cruentare.

Pœnitentia sera.

Serò sapiunt Phryges, Cumani, vel Camęi. Piscator ictus sapiet. Mus picem gustans. Post mala prudentior. Sera in fundo Parsimonia. Rem factam stultus intelligit. Malo accepto stultus sapit. Quæ nocent, docent.

Poesis. V. Literaria. *Preces.* V. Religio, Votum.

Preces inutiles, Non exauditæ.

Aquam e pumice postulare. Ab Asino lanam petere. Lupi alas quęrere. Aliam excute quercum. Alterius pulsa fores. Non habet unda Deos (*Prop.*) Panditur ad nullas janua nigra preces [*Prop.*] Non exorato stant adamante vię (*Prop.*) Lacrymas litora surda bibunt (*Prop.*) Non audituri diripuere noti (*Prop.*) Audiet aversa non meus aure Deus (*Tibul.*) Adverso movimus ista Deo [*Ov.*] Verba dare in ventos [*Ov.*] Nulla vota salutares promeruere Deos (*Sannaz.*) Vota non valent. Vota fides non sequitur. Surda vota condere Jonio (*Pers.*) Surdos vox habet ista Deos [*Hor.*] Nil posse precibus. Proni Superi

con

non sunt. Votum non impetrabile facere. Petiti copia facta non est. Non aspicit ara preces, votivaque tura. Non habes faciles in tua vota Deos. Iniquum petendum, ut ęquum feras.

Primus in aliquo genere. V. Excellentia.

Principium.

Rerum cunæ, incunabula, cunabula, elementa, rudimenta, semina, exordia, primordia. His cunabulis &c. [*initiis*]. Principium Dimidium Totius (*Hesiod.*) Dimidium facti, qui cœpit, habet (*Hor.*) Parvula spina bona est. Vinum, cùm in Infantia est, dulce; cùm pubescit, magis suave, quàm dulce est [*Macrob.*] Hinc mihi prima mali labes [*Æn. 2.*]

Incipere. Fores aperire, telam exordiri, scindere glaciem. Vestigium in re aliqua ponere. Rei alicujus fundamenta jacere. Orationi vela explicare. Bonis initijs, auspicatò, Bonis avibus, Boni Genij, bonæque Fortunæ nomine aliquid adoriri, exordiri [V. *Fortuna prospera*]. In sermonem ingredi [*Cas.*] Novum cribrum novo paxillo suspendere [*Instituere*]. Primus Zeno novam hæresin novo paxillo suspendit (*Varr.*) Novi quidpiam comminisci.

Male incipere. V. Error.

Ab initio. A linea incipere, a fonte, a Lare, ab ipso Lare, ab Ovo, a carceribus, a repagulis, ab incunabulis. *Contra.* A meta ad carceres reverti (*denuo incipere*).

A capite usque ad finem. A capite ad calcem. A carcere ad metam. Ab ovo usque ad mala. Ab ingressu usque ad coronidem. A fronte, & tergo. Prora, & puppis est. Telam ordiri, & pertexere. Nondum in apio est [*nam extremus hortorum ambitus apio conserebatur: h. nondum cœpit*].

A Pueritia. A cunabulis, incunabulis, jam inde a cunabulis; a tenellis unguibus, a teneris unguiculis; a teneris, a tenero, a pueris, a puero, à parvulis, a parvulo; a primis vitę rudimentis, primordijs; a crepundijs, ab ipsis crepundijs,

in

in ipsis vitæ primordijs, in ipso vitæ carcere, limine, vestibulo; in minuta, minuscula ætate, cum lacte nutricis. &c.

Prodigalitas. V. Gula, Luxuria.

ASotia. Asotus [*Prodigus*]. Nepos. Nepotatio, Nepotatus. Nepotari, Nepotini luxus, Nepotales sumptus. Decoctor, gurges, Lancinator æris paterni. Decoquere. Rem omnem, rem patriam frangere, perdere, confringere, stringere. Labem patrimonij facere. Patrimonium labefactare. Pecuniam proluere [*Gell*] Ad assem decoquere. Res omnis tabuit. E dolio haurit. Feito profundit omnia. Ejus largitio non habet fundum. Fundo carens calix. Non sentit censum pereuntem. Promus est magis, quam Condus. Se ipsum non alens, canes alit. Mortuum unguento unxit. Opum sordidus potiùs vespillo, quàm liberalis nutricius. Grando drachmarum (*Zenod.*) Gallorum venter (*qui facile quidvis concoquunt*) Glaucus alter [*qui equis omnia impendit, ab ipsis postea devoratus*]. Plena manu profundit.

Proficere. V. Literaria, Promoveri.

IN suo Pulvere currere (*in ea re versari, in qua quis plurimùm valet*). Ad sapientiam magnis itineribus tendere. Cubitis adolescere. Juxta cubitum profecit. Eam messuit Sapientiæ segetem, ut &c. Gradum facere, aditum aperire ad &c.

Promoveri ad meliora. V. Fortuna.

DEsiit gaudere Lente [*leguminibus*]. Meliores nactus est aves. Ab asinis ad boves. Satis quercus. Fuit & Mandroni ficulna navis (*qui ex Naviculario factus est Imperator*). Hodie nihil, cras omnia, Hodie nullus, cras maximus. Etiam inter vepres Rosæ nascuntur. Etiam vetus arbustum transferri potest. Pedem ultra gradum jactare. Pennas nido

nido majores extendere. E plebeja in patriciam domum transire &c.

Promiſſio. V. Spes.

OCulata manus [*Quæ Promiſſa velit exhiberi*. Plau.] Oculata dies (*qua numeratur præſens pecunia*). Cæca dies (*qua non numeratur*). Sanctè polliceri. Rata ſit verborum ſumma tuorum (*Ov.*) Quid enim Promittere lædit? Pollicitis dives quilibet eſſe poteſt (*Ov.*) Voti fidem ſolvere. Promiſſi Dea facti potens (*Ov.*) Auri montes, Pactolum, Onuſta plauſtra polliceri. Solidos e clibano boves [*Quos Xenij loco Græci miſſitabant*. Ariſtoph.] Nemini credo, qui largè blandus eſt (*Plau.*) Magno Promiſſor hiatu. Aureus in Olympia ſtato. Album tibi panem pinſo. Dosònes (*a verbo gr. Δόω, fut. Δώσω, dabo*; cujuſmodi *Antigonus Rex vocabatur*). Cypariſſi fructus [*Promiſſio vana*]. Charetis pollicitationes (*Athenienſium Ducis, qui vanè promittebat*). Theſaurus carbones erant. Heſperidum mala largiri (*fabuloſa*). Sponde: noxa præſto eſt (*nam qui ſpondet, ſæpe decipit, vel decipitur*). Larus parturit [*Avis leviſſima, cùm parturit, vociferatur, partum leviſſimum edens*].

Promptus. V. Paratus.

Prudentia. V. Aſtutia, Conſilium, Cenſor, Experientia, Conſideratio, Tarditas.

ALter Janus. Etiam in occipitio oculos gerit. A fronte, & occipitio oculatus. Eſt Spartam nactus. Secum habitat, Penes ſe eſt. Perendinum ventum præſcit. Thales alter (*unus e ſeptem Sapientibus*). Tanquam de ſpeculo, ex Tripode homo. Subodoratur omnia. Aliquid proſpicere, odorari, ſubodorari. Non obſcuris indicijs, veſtigijs ad ipſa rei cubilia pervenire. Non oportet, Hoſpitem

semper esse hospitem. Multorum festorum Jovis glandes comèdit. Eum ausculta, cui quatuor sunt aures (*ita fingebatur Apollo*). Maturè fias senex, si diu velis esse senex (*dum iuvenis es, senili gràvitate tè gere*). Consultissime providere, agere aliquid [*Iul.Cap.*] Sapiens divinat. Anima sicca sapientissima (*Sobrietas Sapientia parens. Heracl.*) Mente præsens. Sirenas præternavigare. Prospectandum vetulo latrante cane [*non enim temerè, ut catuli, latrat. Non negligendum, quoties Senes monent*]. Cordatus homo. Cui cor sapit. Catos, Corculos *dixere Romani, qui sapientia præstarent*. Vir robore mentis subnixus, Consilij plenus. Habet in vultu Episcynium gravitatis [*supercilium*]. Prudentia a canitie suffragium non expectat. Nullum Numen abest, si sit Prudentia (*Iuv.*) Exigere aliquid ad recti amussim Consilij. Rerum exitum porrecta in futurum prudentiæ acie prævenire. Ponderibus modulisque suis Ratio utitur [*Hor*] Stans animo. Rectum animi servans. Decocta, decoctior Prudentia. Vir in rebus æstimandis non plumbeus. Evigilata consilia. Sed tibi plus mentis, tibi cor, limante Minerva, Acrius, & tenues finxerunt pectus Athenæ [*Mart.*] Peritus ad usum. Ætas illum acuet (*Ter.*) Mihi cura futuri est [*Ov.*] Ante annos animumque gerens, curamque virilem (*Virg.*) Animi celeritas cum morà conjuncta in rebus providendis(*Plin. Traian.*) Est sanus utrisq; auribus, atque oculis. Integer mentis. Cui cor purum vitio est. Sapientum octavus. Tertius Cato. Acutior Chrysippo. Cui multum mentis, & cordis. Ex Academia venit (h. *vir gravis*). Jupiter non saltat, nec citharam pulsat (*Principes gravitatis, & dignitatis memores sint oportet*). Postvorta, & Antevorta (*Dea ap. Rom. quarum prima Præterita nosset, altera Futura respiceret: sic Principis Prudentia*).

Pudicitia. V. Verecundia.

ANaphrodisia (*Veneris nulla cupido*). Anaphrodìsus [*a Venere alienus*]. Nulla reparabilis arte læsa Pudicitia est; deperit illa semel (*Ov.*) Credo, Pudicitiam Satur-

no Rege moratam in terris (*Iuv.*) Nullum crimen abest, facinusque libidinis, ex quo Paupertas Romana perit (*Juv.*) Argivo dignus clypeo [*Ap. Argivos Pueri incontaminati Clypeos quosdam gestantes pompas agebant*]. Bonæ Deæ sacrificia castissima [*Bona Dea illibata fuit, extra Gynecæum nunquam egressa, nec virum vidit unquam, nec a viro conspecta fuit* [. Castior Hippolyto, vel Melanthione. Summum crede nefas, Animam præferre Pudori [*Iuv.*] Sibi Pudicitia constat [*Suet.*] Purgatus, defæcatus Animus, & ab omni mundi hujus aspergine presse, pureque detersus (*Macrob.*) Fluxæ libidinis exors. Pulchritudo infra Pudicitiam est.

Pudor. V. Verecundia, Pudicitia. *Pueritia.* V. Principium.

Pulchritudo. V. Ornatus.

TAnquam Herculis clypeus [*varijs insignibus mirè ornatus. Justinian.*] Formæ castigatissimæ adolescens, liberali facie, mira oris dignitate, ab ore honestissimus, eximiæ oris specie, formà ad miraculum excultus; incredibili oris venustate, elegantia, honestate florens, spectabilis, adspectabilis; omni lepore, & venustate affluens, liberali, & honesta facie, ore floridulo nitens; pergraphicus; sidere pulchrior: dignus, qui sit a poculis Jovis; qui Lædæ ab Ovo disclusus videtur. Phaon alter [*Juvenis Lesbius, qui unguento a Venere accepto oblitus formosissimus omnium evasisse dicitur*]. Nerites alter [*Nerei, & Doridos fil., Hominum, ac Deorum, ut fabulantur speciosissimus*]. Graphicus homo, ad unguem factus. Digna facies, pro qua posset Troja perire (*ut pro Helena*): pro qua, vel obiret Achilles, vel Priamus, Belli causa probanda foret (*Prop.*) Damno formose tuorum [*Ov. de Paride*]. Sponte decet (*sine ornatu. Ov.*) Non operosa comis, sed furibunda decens [*Prop.*] Illius ex oculis, cùm vult exurere Divos, accendit geminas lampadas acer Amor (*Tibul.*) Quem Gratiæ suo penicillo coloravere. Vir decente filo corporis, membrorumque recta

compage. Liberali filo Virgo (*Apul.*) Flos in facie. Vultus honores præcipui. Os dignum Imperio. Scena corporis [*Tertull.*] Forma sine arte decens, sponte decens (*Ov.*) Lauta forma, lautissima. Forma viros neglecta decet [*Ov.*] Gratiam corporis morum honestamentis ornare. Forma Bonum fragile est [*Ov.*] Res est Forma fugax [*Sen.*] Anceps Forma bonum mortalibus. (*Sen.*) Exigui donum breve temporis (*Sen.*) Formam populabitur ætas (*Ov.*) Lis est cum Forma magna Pudicitiæ (*Ov.*)

Raritas.

Phœnice rarius, Corvo albo, Cornuto lepore. Rara avis in terris, nigroque simillima Cygno. Lac gallinaceum. Noctuæ, vel Noctuinum ovum. Peregrinum quiddam, transalpinum, transmarinum. Pulegium ap. Indos Pipere pretiosius. Vilescunt omnia, quæ non ex Atlantico, vel Indico sinu petita. Metimur omnia decempedà novitatis; & placet in ipsa Novitate Barbaries. Rara juvant: primis sic major gratia pomis, hibernæ pretium sic meruere Rosæ. [*Mart.*] Ursam parientem video (*quoties rarò quempiam, vel post longum tempus videmus*).

Relaxatio Animi. V. Voluptas, Lætitia.

Conchas, conchulas, lapillos, calculos, legere, lectitare (*Animi remittendi gratia ad ludicra se demittere; uti legimus Scipionem, & Lalium Caietæ, & Laurenti vagos litoribus lectitasse.* Val. Max.) Verecundà laxamus seria mensà [*Pers.*] Nugari, & discincti ludere, donec decoqueretur olus, soliti (*Hor.*) Explicuit vino contractæ seria frontis (*Hor.*) Gestatio, Fabulæ, Libelli, Campus, Porticus, Umbra, Virgo, Thermæ (*Mart.*) Genio indulgere. Jocis vacare. Urbano releves colla perusta jugo (*Mart.*) Exuere curas inquietas. Pallentes procul hinc abite curæ (*Mart.*) Diffundere animos. Avocamenta. Apricari. Meridiari. Animo suo obsequi. Ad auram sedere. Nactus pusillum laxamenti (*Cic.*) Jocis tempus fallere. Levare tempus [*Gell.*]

[*Gell.*] Oculos, manum furari labori. Sit emendata voluptas. Inter emendatiores voluptates aliquid habere.

Religio.

NOn movenda ne mòveris (*ne sacra violes*. Plut. *vox edita cuidam evocanti Manes, sive tumulum moventi Amici sepulti: Item in eos, qui receptas divinorum opiniones convellere nituntur*). Ite igitur, pueri, linguis, animisque faventes [*formula olim in sacris usurpata*]. Genua incerare Deorum (*cereas faces ante Deorum simulacra accèndere*).

Res Christiana. Prima Christianæ, divinæ Fidei, legis, juris rudimenta, elementa, incunabula, initia, initiamenta instillare, enucleare. Catechismo, sacris mysterijs, imbuere, instruere.

Christianus. Christo, vel Christianà militià auctoratus. Christianæ militiæ accensus. Romanæ Fidei tesserà signatus, insignitus, auctoratus. Christianis Sacris initiatus, inauguratus.

Sacramenta. Divina mysteria, piacularia Sacramenta ministrare, usurpare. Sacris mysterijs expiari. *Baptismus*: Aquà Salutis respergere. Sacro, salutari, lustrali, piaculari, genitali fonte, lavacro, aqua, latice, aquis, laticibus, abluere, imbuere, tingere, irrorare, irrigare, perfundere, expiare, initiare, inaugurare, regenerare. *Chrismate* inungere, Sacro Confirmationis oleo imbuere. Piacularis *Confessio*, Sacra exhomologèsis, Sacra Christiani ritus Confessio: Aures confitentibus dare, præbere, commodare. Pro sacro tribunali sontibus noxas condonare. Per sacram exhomologèsin Deo lustrari, vitæ noxas, animi maculas expiare, conscientiam nudare. Sacra *Synaxis*, divina Ceres, Cœleste ferculum, epulum, poculum, frux, daps, libum, Crustum. Mensa theurgica. Dapsile Numen. Divinæ Ambrosiæ. Nectaris munera porrigere, ministrare, suscipere. Ad sacram Synaxin, Angelicam mensam accedere. Cœlesti dape refici, recreari. Divini Corpòris mysteria usurpare. Sacro Eucharistiæ *Viatico* munitus, instructus, procuratus. *Extremo* perunctus, delibutus oleo.

Sacra *Nuptiarum* Solemnia celebrare ritu Christiano. Sacra, Socialia, jugalia, connubialia, genialia fœdera, iura, vincula, omina, thalamus, torus, vittæ, tædæ, faces jugales, maritæ, maritales [*Poeticè*]. Sacer, candidus, lætus Hymen, Hymenæus (*Ethnicè*). Sacros *Ordines* impertire. Sacris ordinibus initiare, inaugurare; initiari, inaugurari; Divino cultui consecrari, mancipari, vindicari, asseri: se Deo mancipare, vovere, devovere. *Sacerdotium* inire. Sacerdotem ungi, inungi, inaugurari: ad Sacerdotij fastigium provehi, promoveri. Sacerdotio auctus. Theurgus. Neomysta, Neomystes, (*Novellus Sacerdos*). Sacerdotij primitias Deo libare.. *Episcopali* pallio insignitus ad Infulas assumptus, Infulatus, mitratus Sacrorum Præsul, Præses, Antistes. Protomystes [*Archiep.*]. *Pontifex*, Princeps Numinis vices, atque instar gerens, Rex Sacrorum, Max. Sacrorum Præses, triplici, tergemina tiara, corona redimitus, irradiatus. Romanus, Summus Pastor; Imperij Vaticani regnator. Latiæ Pater qui præsidet Arci. Pater inclytus Urbis. Qui regit imperio Tybridis Arces. Ad sacræ lectus moderamina Puppis. Præsens tutela Tybridis. Ausoniæ Pater augustissimus Urbis. Latialis Orbis potens Heros. Latia qui tonat ab Arce, sedet ad clavum, &c. *Sacrificium*. Operari. Deo facere, operari. Omnia sint operata Deo [*Tib.*] Rem sacram, Divinam facere, procurare, conficere, peragere. Cœlestem hostiam, victimam immolare. Sacris, Divinis operari. Lararium (*Sacellum domesticum*). Penetrales Lares, Foci, Adyta.

Religiosus. Vir Deo signatus, dictus sacer. Sacro ordini, cœtui, familiæ nomen dare, Deo se mancipare, vovere. Sacræ militię accensus. Religiosior Numa. Religiosorum Asceteria. Sacrarum Virginum Parthenônes.

Vota. Voti reus. Se voto, re aliquâ votà, votivâ damnare [*obligare*]. Voti se religione adstringere, illigare. Deo sacra sponsione obligari. Castitatem Deo, sequestra Deip. sacrare. Nuncupatis, & conceptis rite piis votis Deo se dicare [*Professionem emittere*]. Voto defungi, se liberare, Voti fidem liberare, Voti religione se absolvere (*Votum solvere*).


Pre-

Preces Allegare Superis (*Apul.*) Superos obtestor, testor, veneror, adoro, adiuro supplex, ut &c. Aurem supplicijs alicujus dare [*exaudire*]. Protendo ad genua vestra supinas manus [*Pet Arb.*] Brachijs in decussim compositis, cancellatis, decussatim complicatis orare. Vota valent. Vota fides sequitur (*exaudiri*). Genibus minor [*provolutus in genua*]. Fac rata vota Patris (*Mart.*) Vota successus habuere suos. Votum facite impetrabile (*Prop.*) Petiti copia facta est. Voti compos [V. *Votum*] Admovere preces. Aspicit Ara preces, votivaque tura piorum [*Ov.*] Annuis, & nostris subscribis candide votis (*Ov.*) Precatoria corolla, Precatorium sertum, Precariæ decades, Globuli precarij, Corolla precatorijs nexa globulis, piacularibus plexa sphœrulis [*corona, Rosarium*]. Precatoriæ corollæ globulos percurrere, decurrere, volvere. Salutationes Marianas decurrere. *Preces non auditæ* (V. *Preces inutiles*). Frigidam Pietati affundere (*Pietatem minuere*).

Canonizare. Ordini, Concilio, Beatorum, Cœlitum adscribere, asserere. Sacris Fastis adscribere. Sacros fastos alicujus nomine augere. Cœlestes honores alicui rite decernere, constituere. Numerum Divorum altaribus auget [*Æn.* 7.] Superum honore signatus (*Æn.* 6.) Insertus stellis, & concilio superum [*Hor.*] Votis vocari. Sacratus in aris. Templi dignatus honore.

Relinquere. V. Contemptus.

MIssum facere aliquid. Nuncium remittere; valedicere; ultimum, longum dicere vale; ultimam dicere salutem alicui. Longum valere iubere aliquem. Rem casui permittere. Pro neglecto, pro derelicto habere aliquid. Rei alicujus curam abijcere, deponere, exuere &c.



Remedium. V. Auxilium, Patrocinium, Morbus.

ACre. Malo nodo malus cuneus (*duro durus*). Clavum clavo, paxillum paxillo pellere, trudere. Paxilli paxillos excutiunt. Paxillum altero paxillo impacto excutere. Extrema primo nemo tentavit loco (*Sen.*) *Malum*. Oleo incendium restinguere. Oleum camino, Ignem igni addere. Lutum luto purgare. Hydram secare. Morbum morbo ne addas [*Eurip.*] Caput mederi qui debeat, reduviam curat (*Cic.*) Iners malorum remedium Ignorantia est (*Sen.*) *Serum*. Post bellum suppetiæ. Post bellum machinas adhibere. Clypeum post vulnera sumere. Hedera post Anthesteria (*Floralia*, *& Festa Bacchi*: h. *post festa se coronare*). Qui blandiendo dulce nutrivit malum, serò recusat ferre, quod subit, jugum (*Sen.*)

Repetere eadem. V. Molestus.

Reprehensio. V. Censor, Damnare, Emendare.

CEnsoria gravitate obiurgare, damnare. Tristiùs, acerbiùs, asperiùs aliquem appellare. Molli brachio obiurgare [*leniter*]. Excluso Momo solam Euterpen audire (*Obiurgationem odisse*). Nodum in scirpo quærere [*cum qua notâ carent*, *reprehendere quis tentat*].

Rigor, *Rigidus*. V. Severitas.

Risus. V. Derisio.

RIsum edere, emittere Syracusanum (*latum*). Risus Sardonicus [*amarus*]. Jonicus, Chius [*Effœminatus*]. Mega-

Megaricus (*intempestivus*). Syncrusius [*effusus*]. Ajacis risus (*stultus*). Latè diducto ore ridere. In cachinnum effundi. Os perverso cachinno distorquere [*Ov.*] Majore cachinno concuti [*Hor.*] Cui splen crepuit turgente cachinno. Pinguis cachinnus. Sum petulanti splene Cachinno (*Pers.*) Cachinnum sustulit, & in jocos transfusus est [*Suet. in Aug.*] Intra labia ridere (*fictè*). Risu emori, dissolvi, diffluere, diffundi. Contendere risu ilia (*Ov.*) Illa sonat raucum quiddam, atque inamabile ridet; ut rudit a scabra turpis asella mola (*Ov.*) Risu ilia dissolvere [*Pet. Arb.*] Labra risu perspicuo laxare (*Mart.*) Gestire risu. Mordaces torquet contracta nare cachinnos (*Mar.*) Jam tremulos tollis naso crispante cachinnos [*Mart.*] De alieno ludere corio (*ex alieno malo*).

Rixosus. V. Molestus.

SPirat Cæcias [*ventus acerbior*]. Canina facundia. Syrbenæorum Chorus (*incompositus*, *tumultuosus*). Rhodium Sacrificium (*inter rixas peractum*). Rixosior cane, Rubo arefacto præfractior. Crater litium. Litem moveat, vel si asinum canis momordit. A lasso rixam quæris [*ubi potentior imbecilliorem irritat*]. Qui non litigat, cælebs est [*Dos uxoria Viris lis est*]. Rixam inijcere [*vel. Pat.*]

Ruditas. V. Literaria, Ignorantia, Stolidus, Perfectio.

OPus rudi, pingui, crassa, crassiore Musa, Minerva factum. Esse Ingenio Opico, Batavo, Agresti, duro, amuso, obtuso, pingui, adipali, plumbeo, Bœotico. Aurem habens Batavam. Minùs a natura factus ad literarum dulcedinem, ad Musarum humanitatem. E quercu natus. Inelegantior Libethrijs. Homericus Margites. Fungus ingenij. Stipes. Caudex. Stupor plumbeus. Cultu asper. Moribus inconditus. Auris Bœtica, Opica, Batava. Cui obesæ sunt aures, vel nares. Plenus ruris, & in-

& inficetiarum [*Catul*] Inficeto rure inficetior. Petrones, Rupices, Rupicones [*Rustici*]. Illævigatus, & inconditus sermo, sonus (*Diomed.*) Alicujus rei rudem graphidem, lineas, delineationem, imaginem edere, ducere, deducere, adumbrare, delineare. Informe specimen exhibere. Primoribus lineis, primore, rudiore manu, operà informare, describere. Res informis, inabsoluta [*Apul.*] Inficetissimè pictum, scriptum (*Plin.*) inscitissimè (*Gell.*) Extremam manum exorat, implorat. Extremus actus abest. Res secundæ, deterioris notæ. Posteriores ferre (*partes*). Cruda Studia (*immatura*).

Sagacitas. V. Astutia, Prudentia.
Salubritas, *Sanitas*. V. Valetudo.

Sapientia. V. Prudentia, Literaria, Diligentia.

SApiens divinat. Sapiens dominabitur astris. E Cœlo descendit Γνῶθι σεαυτὸν (Nosce teipsum). Sæpe sub tenui palliolo latet sapientia (*Cic.*) Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus. Victrix Fortunæ Sapientia [*Iuv.*] Non nobis solùm nati sumus (*Plato*) Ad summam Sapiens uno minor est Jove, dives, liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum [*Hor.*] Quem Virtus numerosa juvat (*Ov.*) Jure madens, varioque togæ limatus in usu. Cujus Cecropià pectora dote madent. Quem si jure petat magni Senis Atticus hortus, non minùs esse suum Stoica turba velit (*Mart.*) Sapientiæ severioris, gravioris, immansuetioris Alumnus. Quæ docet sapiens Porticus. Totos dat tetricæ dies Minervæ (*Mart.*) Qui disertos sapientiæ Tripodes excussit. In Adyta, Sacraria. Lararia penetravit Disciplinarum. Sapientem pascere barbam [*Hor.*] Ferulæ manum supposuit. Meraco Sapientiæ tinctus, potus, satur. I. V. ex interiori nota scientiss. Versatiss. In utraque umbra, atque acie [*foro*, *& schola*]. Scribens Gratiis litat, &

Mu-

Mufis, loquens lepori ancillatur, & elegantiæ. Eloquentium, mutarumque artium ufu peritus. Ingenuas pectus coluiffe per artes (*Ov.*) Sefe Sapientiæ artibus naviter excolere. Cui molle pectus Phœbus imbuit, Camœnæ perpluunt fcientià. Polymathia (*Multa eruditio*). Polymathes [*Multifcius*] Pantomathes [*omnia fciens*]. Unus dies eruditorum plus patet, quàm impertit longiffima ætas [*Sen.*] Pofteriores cogitationes fapientiores funt (*Cic.*) Difcipulus prioris pofterior dies. Senefco femper addifcens [*Solon.*] Tandiu difcendum, quandiu nefcias (Sen. h. *quandiu vivas*). Petit hoc plus temporis, atque olei plus (Juv. h. *Studium, Demofthenes dictus plus olei, quam vini confumpfiße*). Doctrina mores effe non finit feros [*Menan.*] Sapiens fuas ubique circunfert opes [*Men.*]

Secretum. V. Occulta.

Securitas. V. Difcrimen, Fortuna, Patrocinium, Anceps, Somnus.

IN portu navigare, federe, dormire. In vado in tranquillo res eft. Non hæret in aqua, in falebris, &c. Extra lutum pedes habeo. Extra aleam, ictum, tela, teli conjectum, telorum jactum effe. Eft procul a fulmine, a Jove. Extra fumum, & undam. Duabus nixus, fultus anchoris. Effe intra januam, intra quatuor, vel quadrangulum [*intra domum*]. In diem, in horam, ex tempore vivere [h. *citra futuri follicitudinem*]. Aliquid in manibus habere. In meo regno, in meo luco, & fano fitum eft. Intra meas præfepes habeo. Rem factam habet. Porrectis pedibus, in dexteram, vel in utranvis aurem dormire. E terra naufragium fpectare. Dies Halcyonij. Halcedonia vivere. (h. *dies tranquillos, ut mare, cùm Halcyones incubant*). Mœnia Semiramidis inexpugnabilia. Teftudo intra tegumen tuta. Ne in Jovis quidem Aula tutior. Sarta tecta res eft. Non vulgari Anchora innixus. Pectora Pauper fecura gerit [*Sen.*]

(*Sen.*) Venenum auro bibitur: tutus mensa capitur angusta cibus [*Sen.*]. Mortuo leoni etiam lepores insultant. Excessere metum mea jam bona. Major sum, quàm cui possit fortuna nocere [*Ov.*]. O soles! O tunicata quies! [*Mart.*].

Senectus. V. Vetustas, Vita.

ACherontius Senex, Bustuaria larva; Silicernius, capularis, depontanus, in Proserpinæ peculio numeratus. Est in Orci familia: Charonti naulum præparat. Difficile senectutis limen [*Hesiod.*]. Rugæ. Rugosa ætas. Genarum sulci. Genæ rugis scissæ. Ultima ruga. Caries rugosa senectæ. Ætas emerita. Senilis labes. Albo flore conspersum caput [*Sophocl.*]. Senectus peractio ætatis est, tanquam Fabulæ (*Cic.*). Maturè fias senex, si diu velis esse senex [*integra adhuc ætate desiste ab immodicis laboribus, si vis esse vivaci ac diuturna senecta*]. Aquilæ senectus (*quæ non senio, sed fame oppetit, crescente rostro superiore, ut tantum bibat*; hinc illud *Senes plus bibunt, quàm comedunt*). Antiquior Chao, Vita, Japeto, Codro (*Rege Attica*). Ducere situm, ac senium. Situ, ac senio extabescere. Obrepit non intellecta Senectus (*Iuv.*).

Servitus. V. Liberatio, Ignobilitas, Infamia.

ARgentum accepi, imperium vendidi (*ita Demenætas pauper divite uxore ducta*). Spartæ servi maximè servi [*ubi omnia opificia exercebant*]. Leo chordà vinctus [*in cavea circunducitur*]. Samij literati (*a quibus literæ repertæ, ad stigmata eorum adhibita sunt*). Cum sarcinis nemo enatat [Sen. *Sub sarcinis Reip. nemo planè liber*]. Caput mercede redemptum. Sale coemptus, De Cappadocum catastis, De lapide emptus (*Mancipia*). Catastæ, Compedes, Comati, Inscripti (*notis servilibus compuncti*). Gypsati pedes [*Servi venales habebant pedes gypso illitos*]. Pedibus qui venerat albis: & præbe-

bere caput domina venale sub hasta (Iuv. *auctione facta proponebantur*). Tria Cappa mala [*h. Cappadox , Cilix , Cretensis ; quòd ex his servi essent*]. Syri, Medi, Phryges (*E Phrygia Mancipia laudatissima* . Athenæus). Stigmatias, Loripes, Vir mancipi (Hom. Odyss. ait, *Iovem Servis dimidiam animi portionem abstulisse*). Et sonet innumera compede Thuscus ager [*Mart.*]. Accedes Opera agro nona Sabino (Hor. *Servi adigebantur humum exercere*). Natus ad Euphratem, molles quòd in aure fenestræ arguerint [*aurium pars ima perforata* Iuv.]. Advectus Romam, quo pruna, & coctona vento [*Iuv.*]. Succinctus patria papyro [Iuv. *Servus Ægyptius vestibus e papyro confectis*].

Severitas. V. Mœstitia, Censor, Arrogantia, Ira.


AD vivum resecare. Radere usque ad cutem. Censoria virgula uti. Obtorto collo rapere (*per vim nolentes*). Ad libellam debere [*qua rigidè pondus examinant*]. Ex Syngrapha agere. Olitorem odi, qui radicitùs herbas excindat. Summum jus summa injuria. Duro flagello mens docetur rectiùs. Alicujus audaciam, improbitatem infringere, jugulare. Frænum inijcere alicui. Contumelioso vultu aliquem persequi (*Pet. Arb.*). Obliquis, trucibus, liventibusque oculis spectare, aspicere. Titanicùm, vultu Titanico intueri. Vultuosè aspicere, incedere. Vultuosus. Vultuosa frons, Titanicus, Saturnius aspectus. Tragicùm, Tauricùm intueri. Severioris notæ homo. Homo ad severitatem implicatus (*Cic.*). Erinnys ex Tragœdia [*tristis, & furiosa*]. Me infensus servat [*Ter.*]. Asperitas agrestis, & inconcinna, gravisque (*Hor.*). Homo difficillimà naturà. En Pallor, Seniumque [*Hor.*]. Triste supercilium, durique severa Catonis frons [*Mart.*]. Matutina fronte venit (*Mart.*). Truculentus, & silvester, & vitæ inscius [*Sen.*]. Squalido turpis situ (*Sen.*) Duris torvus superciliis (*Ov.*). Frons hirta. Frontis rugæ. Pondus veteris triste supercili (*Sen.*). Exæquans tetricas Sabinas [*Ov.*].

Fer-

Ferreus, aheneus homo. Cui cornea fibra est. E quercubus, & ſaxis natus, prognatus. Tenedius homo (*minax*). Tenedius Patronus [*rigidus*] Tenedia Securis [*Tenedi Rex ſanxit, ut a tergo judicis adſtaret lictor ſecurim tenens, ut ſi quis perperam in judicio dixiſſet, eum protinus ferıret*]. Cultu aſper. Subiti, ſubaſperi, ſubdurioris, paulò ferocioris ingenij, naturæ vir. Echino, Hiſtrice, Scytha aſperior. Scabrior Leberide. Durior cote Naxiaca, Cretica. Thymbrà victitans (*herbà ſubamari ſaporis*).

Silentium. V. Occulta.

NE my quidem, ne gry quidem facere [*non biſcere, ne tantulùm quidem loqui*]. Silentium manu poſcere, imperare. Elicies priùs aquam e pumice. Taciturnior Areopagità, Pythagoræis, Hipparchione, Agathòne, ſtatuà, piſce, perdice, Acanthia, vel Rhegina Cicada, Rana Cirenia, Theſſalica, Seriphia, vel e ſeripho [*in quibus locis muta ſunt*]. Supra Panthoidas tacitus [*Pythagoricos*]. Muta perſona. Pythagoræ diſcipulus. Civis Amyclæus. Tacitæ Amyclæ. Amyclas perdidit Silentium (*cùm in ea urbe ſubinde falsò nunciaretur hoſtium adventus, lege cautum fuit; ne quis adventum hoſtium nunciaret: adveniente hoſte, cùm nemo nunciaret, capta eſt*). Arcanum in pectore condit Eleuſin [*cuius Sacra ſecretiſſima*]. Cereri facit (*litat*). Caput ſine lingua. Bovem habet in lingua (*pecuniam bovis imagine ſignatam, ne loquatur*). Mutus Hipparchion (*Citharædus, qui apud Iuliopolitas theatri ſtrepitu turbatus, obticuit.*). Harpocratem colit. Qui Harpocrati, Sigaleonti, Angeronæ litavit (*Silentij Dijs*). Pedarius Senator (*qui ſententiam non dicebat, ſed pedibus in ſententiam ibat*). Mercurij ſtatua. Trunco ſimillimus Hermæ (*qui dum loquendum eſt, tacet*). Quod ſcis, neſcis [Ter. *ne reveles*]. Qui ſilet, eſt firmus (*Ov.*). Animam comprime. Spiritum collige. Reducere timidiſſimè ſpiritum.



Si-

Similitudo. V. Amicitia.

SImile ſimili gaudet. Pares cum paribus facillimè congregantur. Similitudo mater Amoris,& Conſuetudi nis conciliatrix. Non tam ovum ovo, non tam aqua aquæ ſimilis. Uno tenore fluunt. Similes habent labra lactucas (*Aſino carduos comedente*). Dignum patellà operculum. Ovo prognatus eodem. Furem fur agnoſcit,& lupus lupum. Conveniunt Attabas, & Numenius [*duo fures*]. Caſcus caſcam ducit [*Anum vetulus*]. Surdaſter cum Surdaſtro litigat. Qualis hera, tales pediſequæ. In eodem luto docti. Iiſdem veſcuntur cæpis. A ſimili mores accipiuntur hero. Mali corvi malum ovum. Cercòpum cœtus (*verſutorum in Epheſo conciliabulum*). Semper Similem Deus ducit ad ſimilem. Cicada cicadæ cara, formica formicæ. Graculus graculo aſſidet. Cum Care cariza, cretiza cum Cretenſi, vulpinare cum vulpe. Doribus Doricè loquendum (*Interrogatio, & Reſponſio conſentiant*). Seni ſenilis lingua jucundiſſima. Canis in eadem tegula ſemper dormit (*quia ſimile quid ſibi invenit in tegula*. Empedocles. *Quia vaſa cretacea cum canum, aliorumque animalium effigie fingebantur; ad quas occurriſſe canes teſtatur Athenæus*).

Simulatio. V. Aſtutia, Mendacium, Hypocriſis, Subornari.

VUlpes eſuriens dormit. Lepus dormiens (*patentibus oculis*) Antìco ſubire, poſtìco diſcedere. Flere ad novercè tumulum (*fictè*). Crocodili lacrymæ. Hæredis fletus. Æſopicus graculus [*alienis pennis indutus*]. Vanà Amicitiæ ſpecie picturata frons. Somnum mentiri. Ab inquieto ſæpe ſimulatur quies (*Sen.*). Indocti primùm, quanquam plena omnia gypſo Chryſippi invenias [*Iuv. Doctrinæ larvam induunt, cùm ſint imperiti*]. Audiens non audit. Quod ſcis, neſcis (*Ter.*). Bifrons Janus, Mercurius. Canis clanculum mordens Cretes neſciunt pelagus [*ironicè*,

cùm

cùm quis, quod callet, se ignorare dissimulat].

Sinceritas. V. Aſtutia.

NUdæ Gratiæ. Apertæ Muſarum januæ. Attica fide aliquid facere. Sine fuco, & fallacijs. Sine dolo, & artificio. Sublatis dolis. Candidus ſine ullo palpo. Fidei non ſiniſter. Mente ſimpliciſſima,& vera fide facere. Narra mihi, ſed tua fide [*Pet. Arb.*]. Apertum pectus. Aperto pectore loqui. Ævo rariſſima noſtro Simplicitas (*Ov.*). Falſi poſitis ambagibus oris [*Ov.*]

Sollicitudo. V. Anceps, Somnus.

SIſyphi lapidem volvit. Arctum anulum ne geſtato [*Pythag.*] Cor ne edito [*Pyth.*] In via ne ſeces ligna [*ne vitam anxijs curis diſcrucies*]. Æger animus curarum pondere. Res eſt ſolliciti plena timoris Amor.

Solitudo. V. Occulta.

SCytharum ſolitudo. Ne muſca quidem (*ita Iuvenalis rogatus, ecquis eſſet cum Domitiano Cæſ.*). Muſca nulla fœmina eſt in ædibus [*Plaut.*]. Ædes inanijs oppletæ ſunt, atque araneis (*Plaut.*). Quiſquis amas (loca ſola nocent) loca ſola caveto [*Ov.*]. Nam tibi ſecretos augent ſecreta furores [*Ov.*]. Semper habe Pyláden aliquem, qui curet Oreſten (*Ov.*). Beatæ pacis feriæ. A rerum humanarum ſtrepitu longè ſepoſitus. Locus ab omni arbitrio liber. Segrex, ſeductus homo, & quaſi ruſticus (*Plin.*). Vitam ſegregem agere. Qui rure vacuo pòtitur, & aperto æthere innocuus errat [*Sen.*]. V. *Epimetron* ſub finem.

Somnus.

SOmniculoſior glire. Papavere illitus. Endymiònis ſomnum dormire [*a Luna in Latmo Cariæ monte ſopiti*]. Ultra Epimenidem dormire (*qui in antro obdormivit annos 75.*). Ipſum Epimenidem, Endymiònem ſomno vincere.

En-

Endymionæus somnus. In utrunque oculum, aurem, in dexteram aurem, porrectis pedibus dormire. Non decet Principem solidam dormire noctem (*Hom*). Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta oscitat hesternum diffutis undique malis? (*Pers.*) Stertimus, indomitum quod despumare falernum sufficiat (*Pers.*). Hic satur irriguo mavult turgescere somno [*Pers.*]. Se in provectum solem pinguiori somno curare. Numerare pigri damna quis potest somni? (*Mart.*). Frondatà tumeat facilis tibi culcitra plumà: Non venit ad duros pallida cura toros (*Mart.*). Minimum gustum hauseram somni [*Pet. Arb.*]. Cespes Tyrio mollior ostro solet impavidos ducere somnos: aurea rumpunt tecta quietem, vigilesque trahit Purpura noctes (*Sen.*). Somno liberaliùs indulgere. In multum solem matutino somno indulgere. Somno demergi, sepeliri. Ubi somnus admonuit, ibi requiescere. Jam Noctis meridies erat (*varro*) cùm tetigit me virga valentiore somnus (*I. Lips.*). Arctè, graviter, altùm dormire, stertere. In multam diem stertere. Explere se somno. Arctiore somno teneri.

Somnia. V. Votum.

Somnia pituità qui purgatissima mittunt (Pers. *cum carent pituità, humore frigido, somnia putabantur vera*). Namque sub aurora jam dormitante lucerna, tempore quo cerni somnia vera solent [*Ov*]. Post mediam noctem visus, cùm somnia vera (*Hor.*). Sub auroram Somnium ad me rectà advolare visum è cornea porta [*I. Lips.*]. Nec tu sperne pijs venientia somnia portis: cùm pia venerunt somnia, pondus habent [*Prop.*]. Fac, venias oculis umbra benigna meis [*Prop.*]

Sordes.

Equi agit senectam. Est è Patrocli domo. Ex aula Telemachi. Patroclo, Telemaco sordidior. Luto lutulentior. Lutum luto purgat. Cubito nasum emungit. Deflorare, devirginare aliquid. Prolivium, Proluvium (*sozzura*). Destringere, emaculare sordes (*tergere*).

Spes. V. Deſperatio, Patrocinium, Promiſſio, Experientia.

OCulus dexter mihi ſalit. Lux affulget mihi. Mihi ſupercilium ſalit. Mens mea convaluit [*Ov.*]. Quæcunque ex merito ſpes venit, æqua venit [*Ov.*] Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo (*Ov.*). Lactare aliquem, & falſa ſpe producere (*Ter.*). Collige cum vultu mentem [*Ov.*]. Illa quidem fallax, ſed tamen apta Dea eſt (*Ov.*). Spem infinitam perſequi [*Cic.*]. Ne fluitem dubiæ ſpe pendulus horæ. Magnæ ſignum indolis eſt, ſperare ſemper (*L. Fl.*). Spe potitus. Spes altrix ſenectæ [*Pindar.*]. Ingens præſidium mortalibus (*Claud.*). Hæc ſola in Pandoræ vaculo latuit. Hæc Dea, cùm fugerent ſceleratas Numina terras in Dijs inviſà ſola remanſit humo (*Ov.*). Res in herba eſt: in ipſa meſſe. Dum ſpiro, ſpero. Adhuc Cœlum volvitur. Sperandum eſt vivis: non eſt ſpes ulla ſepultis [*Theocr.*] Vivere ſpe vidi, qui moriturus erat (*Ov.*). Spes alunt exules. Adhuc Deus aliquis reſpicit nos. Nondũ omnium dierum ſol occidit. Semper tibi pendeat hamus. Semper Agricola in novum annum dives. Spes alit agricolas. Scipioni inniti arundineo (*ſpes vana*) Boletus ereptus eſt e faucibus meis. Non omnia eveniunt. Hic funis nihil attraxit. Mus pro leone. (Spes fruſtrata).

Stimulare. Admonitio.

ALas addere. Stimulis fodere. Calcaria ſubdere. Cubito ſtantem tangere. Latus fodere. Aurem vellere. Claſſicum canere. Alicui animos, ſpiritus ſubdere, acuere, ſufficere, ſuggererere. Currentem incitare. Timore perculſum recreare, excitare. Jacentem, fractum animum confirmare. Quaſi frigidam igni ſuffundere, affundere. Ede naſturtium. Pituitam a naribus deterge, &c.



Sto-

Stolidus, Stupidus, Stultus. V. Ruditas, Ignavia.

SImulacrum pictum. Niobes Archetypon. Lapis molaris. Arcadicum germen. Ficulnus homo. Ficulna mens. Antronius Asinus. Opicus mus. Muta persona. Sus Bœoticus. Bœoticum ingenium, pectus, mens, auris. Caudex, Stipes, Caudex cerebri, merus Cippus, Iuncea mens, Iunceæ mentis homo. Vesano vertice caudex, Abderitica mens. Abderitanæ pectora plebis habes [*Mart.*]. Vervecea statua. Margites. Alba præcordia. Vappa. Fungus. Cor bubalum. E quercu natus. Cæcus auribus. Simulat cupressum. Vitam pulmonis vivit. Pectus non habet. Caput sine lingua. Corpus sine pectore. O quale caput! sed cerebrum non habet (*Simia Æsopica de Iovis statua*). Læva in parte mamillæ nil salit. Helleboro opus est. Bibe Helleborum. Ne mercurius quidem sanarit. Dubiæ sanitatis homo. [*semistultus.* Plin.]. Bœotum in crasso jurares aere natum. Cui sepultam corneus sopor mentem insedit. Betizat. Nil plus sapientiæ habet, quàm lapis. Mucosæ naris homo [*Bardus, ineptus*] Mens non inest Centauris. Quid stas, lapis? (*Ter.*). Dignus qui suem immolet. Porcum immola. Septimus Bos [.*e farina fictus, a pauperibus, qui vivo carerent, post sex alias victimas immolandus*]. Stultior Gryllo, Amphistide, Chorœbo, Mòrycho, Embaro, Praxillæ Adonide (*Praxilla Poetria Sicyonia Adonidem inducit ab Inferis interrogatum, Quid apud superos pulcherrimum reliquerit; respondere, Solem, Cucumeres, Mala. Zenodot.*). Pistillo retusior. Mente àlogus. Alogia [*fatuitas*]. Minus habet mentis, quam Dithyramborum Poetæ. Animi caligo, & magna oblivio rerum. Vis typhonia (*delirium cum furore*). Mania [*insania*]. Maniacus. Manicus. Maniatus. Cerritus (*a Cerere percussus*). Lymphatus, Sideratus, fulguritus. Aut insanit homo, aut versus facit [*Hor.*] Veratro, & Moly Homerico purgandus. Quæ poterunt unquam satis expurgare cicutæ? [*Hor.*] Senior bullà dignissimus

(Juv. *repuerascens*). Aut Regem, aut fatuum nasci oportet (*Sen. in Claud.*) Neronianas thermas refrigeret. Rana gyrina sapientior. Mentis diminutio (*Suet.*) Dirarum insectatio [*Furiarum agitatio*]. Nihil ab Elephante differs, vel Ceto (*corpore, & mole horrida*). Ab Asino delapsus (*a Mente* Plat.) Prope ad stultitiam simplicissimus (*A.Gell.*) Pondus iners, stolidæque ferocia mentis [*Ov.*]

Studium. V. Diligentia, Literaria, Sapientia.

Subitus interventus.

LUpus in fabula (*cum is intervenit, de quo est sermo*). Mercurius supervenit (*cùm in consessu multorum fit subitum silentium, quasi ad Mercurium de Cœlo lapsum*).

Subornari.

ARgentanginam pati (*dictum de Demosthene, ne adversus Milesios ageret*). Bos in lingua. Bovem portat in faucibus (*pecuniam Bovis imagine cusam*). Pomis aureis petitus. Malis percussus. Argenteis hastis pugnare. Sirenum cantu demulceri.

Superare. V. Excellentia. *Superbia*. V. Arrogantia, Adulatio.

Surditas. V. Labor inanis.

SUrdior turdo, freto, litore, Toronæo portu [*Torona Urbis Thraciæ, vel Macedoniæ, in cuius portus longo secessu nullus fluctuum fragor auditur*]. Hylam vocas (*non auditurum, ut olim Hercules, quia a Nymphis raptum*). Fluctibus obloqueris. Parieti loqueris. &c.

Suspicio. V. Diffidentia.

Ta-

Taciturnitas. V. Silentium.

Tarditas. V. Ignavia, Negligentia, Remedium.

POst festum, post Pythia venisti. Citiùs Elephanti pariunt. Testudineo, formicino, grallatorio, laneo, plumbeo, tacito gradu, pede incedere. Summis ingredi pedibus. Echinus partum differt [*qui grandior spinis acutioribus pungit*] Opsimathia (*Tardidiscentia*) Opsimathes. Festina lentè. Prudentia præpropera periculosa. Matura satio sæpe decipit, Sera nunquam non mala. Serò contingunt Magnifica. Deliberandum est diu, quod statuendum est semel. Grande moræ pretium. Bos lassus lentè, sed altiùs figit pedem. Romanus sedendo vincit. Fabius cunctator. Romanam Fabius cunctando restituit rem. Ad pœnitendum properat qui citò judicat. (*P. Syr.*)

Tempus terere. V. Labor inanis. *Testimonium.* V. Auctoritas. *Tetricitas.* V. Severitas.

Timor. V. Minæ, Ignavia, Fugere.

TImidior Pisandro, Epèo, Rheginis, Prospiciente, lepore, cervo, sepia. Pisander alter. Umbram suam metuit. Fulgur ex vitro, vel pelvi metuit. Hastam, clypeum abijcere. Ante tubam trepidat. Vir cervinus. Initio concidit. Panicus metus hominem corripit. Lepus galeatus. Est verecundià semipaganà. In pulicis morsum Deum invocat. Mulier agmen ducit. Animus pedes delapsus ad imos [*Hom.*] Domi leo. Ignavi vertitur color. Corinthijs non indignatur Ilium (*quibus animus oppugnandi non fuit*). Timidi nunquam statuerunt trophæum. Vel muscas metuit. Coturniculæ animus. Habenas ignavus

non tractet. Tange me: frigidior nive gallica sum (*I.Lipſ.*) In Cyclopis antrum devènimus [*I. Lipſ.*] Diu vocem collegit (*Pet. Arb.*) Sanguinem amiſit. Amor timere neminem verus poteſt (*Sen.*) Haud eſt virile terga fortunæ dare (*Sen.*) Qui pavet vanos metus, veros fatetur [*Sen.*] Regna cuſtodit Metus (*Sen.*) Dubia pro certis ſolent timere Reges [*Sen.*] Multi ad fatum venere ſuum, dum fata timent (*Sen.*) Non eſt virtus, timere vitam [*Sen.*] Mens ſemper, quod timet, eſſe putat (*Ov.*) Aſſem Elephanto dare [*cum pavore*]. Tanquam Gorgone viſa obſtupeſcere. Mens fugit admonitu (*Ov.*) Formidine imbutus, impeditus, prohibitus. Animus demiſſus, pueriliter timidus. Metum expungere.

Valetudo. V. Morbus.

PIſce, Cucurbità ſanior. Crotone, Locris ſalubrius. Valere athleticè, pancraticè, bellè, perbellè, belliſſimè, pulchrè, fauſtè, commodè, baſilicè. Eſt, utitur, vivit ſecunda, integra, viridi, vegeta, commodiſſima inoffenſa valetudine. Rectè habet. Quàm rectiſſimè valet. Pelliculam curare jube [*Hor.*] Aſſiduo curata cuticula ſole (*Perſ.*) Poſcis opem nervis, corpuſque fidele ſenectæ (*Perſ.*)

Vanagloria. V. Adulatio, Arrogantia.

Vanitas. V. Nugæ, Mendacium, Promiſſio, Minæ.

SOmnia, fumum, Iberas nænias, Ægyptiaque portenta ſectari. Tantali, vel Adonidis horti (*qui nil frugiferum pariebant*). Cypariſſi fructus. Ova ſubventanea, Zephyria, Hypenemia [*ventoſa, irrita*]. Ramuſculi foliorum. Meræ phialæ, ampullæ, aquæ bullantes. Umbræ pro corpore. Ampulla, Parthis vanior.

Verba licentioſa. V. Libertas.

Ve-

Verecundia. V. Pudicitia.

CUi mollis frons [*contrà Os durum*]. Esse mollis, teneræ frontis, Mollities frontis (*nimius pudor qualis sæpe doctis*) Recta ingenia verecundià debilitantur, Perversa confirmantur audacià (*Plin. Iu.*) Ingenuo, honesto, liberali rubore suffusus. Integræ frontis homo, illæsæ verecundiæ, ac pudoris, Cui casti pudoris illuxere faces, Niveos infecit purpura vultus. Convelare caput [*pudoris causa, re, vel oratione minùs honesta audita, ut egit Socrates*]. Nullus est miseris pudor (*Sen.*) Pudoricolor [*dicta a Nonio Aurora*].

Veritas. V. Auctoritas, Noscere.

TAnquam ex oraculo manans Delphico, Pythio, Clario. Tanquam ex Tripode, ex Adyto quodam penetrali dictum, pronunciatum. Tanquam folium Sibyllæ. Aliquid sobriè dictum. Vero, verissimo, veriùs. Oraculi loco aliquid habere, tenere. Manu tenere aliquid. Res in confesso est, Indicijs, Auctoribus certis compertum. Vèl cæco apparet. Et puero perspicuum est. Hoc bimi infantuli decantant. Notum lippis, & tonsoribus, sellularijs, subrostrarijs, tonstrinis, forficibus, Americis, & Australibus; tanquam in speculo, in tabula. Domesticè notum. Sole, meridiana luce clarius. Res intus, & in cute nota. Manifesta fides. Non fallit hæc alea. Res est inter manus. Electro lucidius. Stoicorum dogma. Canit Sibylla. Omni ambiguitate sublata. Sine fucis, calamistris, lacinijs nuda, genuina veritas. Certissimam astruere alicui fidem. Siccis rustica Veritas capillis(*simplex, sine unguentis*). Certa feram certis Auctoribus [*Prop.*] In his libris nil prius est fide. Rem acu, summa acu tangere. Rem ipsam putasti. Scopum ipsum attingere. Rei nucleum tangere. Et hoc puta vatem dixisse. Existimèt se Oraculum accepisse, non sententiam. Philalethes (*Amans veritatis*). Philalethia. Adversus solem ne loquitor [*manifestis ne repugnes*]. Teneras mordaci radere Vero auriculas [Pers. *veritatem di-*

cendo delicatas aures vellicare]. Veritas odit moras [*Sen.*] Verum exculpere ex aliquo, exprimere, extorquere.

Vestes. V. Luxus, Ornatus.

THessalicæ alæ (*vestes manicata ap. Thessalos*). Punicus cultus, velut avis exotica (Plaut. *propter manicas alarum instar*). Vestis purpurea teneris Mecœnatibus apta [*Iuv.*] Micat innumeris arcula Synthesibus (*Mart.*) Quid facient alij, cùm tu multitia sumas? (Juv. *Bombycinam molliss.*). Multitium viride, rubrum, &c. argenteo, aureo stamine distinguere, interstinguere, describere, inarare [*variegatum*]. Sericum villosum intexto Asiaticæ artis flore pulchrè vernante alternatum. Babylonis picta superbæ Texta, Semiramia quæ variantur acu [*Mart.*] Horum ego non fugiam conchylia? (Hor. *viros purpura indutos*). Vestis Attalica, auro argentoque, & multicolore Holoserico texta. Vellera, stragula, chlamys Milesia (*mollicula*, *& parum severa*). Quid torus a Nilo, quid syndone cinctus olenti (Mart. *Byssinus*, *è lino candidiss. ab altima Ægypto petitus*). Cadmi municipes lacernæ (*Tyria*, Mart.) Latus Clavus [*vestis Senatoria purpureis globulis clavorum capita imitantibus ornata*]. Angustus Clavus [*vestis equestrium*]. Purpura, atque auro illitæ vestes (*Sen.*)

Vetustas. V. Senectus, Vita.

ANnorum, Temporis, damna, furta, invidiam, injuriam, dentes, morsus, testantur Rudera. Rupta situ saxa. Marmora findit caprificus. Annorum ictu pondera victa ruunt (*Prop.*) Seculorum attritu collapsa, prostrata. Situ, ac senio, extabescere. Ducere seniū, ac situm. Caries annosa columnas diruit. Ævo solutum, vetustatis injurià victum, fatiscens. Cariosa vetustas. Mors etiam saxis, nominibusque venit [*Auson.*] Longa procubuere die (*Ov.*) Chronicæ lemæ (*antiquitates*) Chronica, Archæa, Palæa loqui [*antiqua, obsoleta*]. Antiquiora Diphtherà loqui [*pelle Amalthea, in qua Iupiter res humanas scribebat*]. Homo antiquæ plebis (*antiquis moribus*). Obsoletissimus vestitu (*Apul.*) Aliquid velut ex naufragio Vetustatis ereptum. Infor-

formis ſitus, et deſerta vetuſtas (*Hor.*) Araneoſus ſitus [*Catul.*]

Victoria.

EXuere caſtris. Palmam ferre. Palma, Victoria lemniſcata (*ornata, magnifica*). Et ceromatico fert Niceteria collo [Juv. *Victoria præmia*]. Lis omnis noſtra eſt (*vicimus*) Prona eſt palma [*facilis*] Solus currens vincit. Occupet extremum ſcabies [Hor. *Sic olim in curſu clamabant pueri*]. Invulnerabilis es, ut Cœneus (*Neptuni filius*). Coronatis Muſa triumphat equis (*Prop.*) Ingenti præda, & triumpho gravis [*L. Fl.*] Currus inclytis imaginoſus victorijs. Captivum portatur ebur, captiva Corinthus [*Hor.*] Trahitur manibus Regum fortuna retortis [*Hor.*] Cadmæa victoria (*in qua victores, ac victi perierunt*).

Vigilantia. V. Diligentia. *Vilitas.* V. Ignobilitas.

Vinculum. V. Pœna.

VUlcanium, adamantinum vinculum, Herculeus nodus, Deo vindice dignus (*inſolubilis*). Nodus Gordius (*de quo Oraculum, Regnum Phrygum manſurum, dum indiſſolutus maneret*).

Vinum. V. Bibacitas.

Violentia.

LEonina Societas (*cùm unus rapit omnia. V. Diſcordia*). Atticus Advena (*hi olim vicinos bello pellebant*). Echinus Leporis hoſpes (*qui ſenſim explicatis ſetis hunc excluſit nido*). Jus in armis. Lex in manibus. Mars Rex. Centauricè, Cyclopum more. Non movenda moves. In caput impelli (*ut ſolent Præcipitati*). Capillis trahere. Leonis catulum ne alas (*qui mox te laniet*).

Virtus.

VIrtutum radices amaræ, fructus dulces. Virtus gloriam parit. Acti labores jucundi [*ſuavis eſt honeſtè actorum memoria*]. Neſcia Virtus ſtare loco (*Lucan.*) Repulſæ neſcia

ſcia ſordidæ [*Hor.*] Cum pura virtus fulſit, omnes in tenebris latuere gazæ. Nunquam poteſt non eſſe Virtuti locus (*Sen.*) Elige vitam optimam (*Pyth.*) Omnis Virtus eſt mediocritas (Cic. *in mediocritate conſiſtit*). Virtutis eſt, domare quæ cuncti pavent (*Sen.*) Nunquam Stygias fertur ad undas inclyta virtus [*Sen.*] Attingit ſolium Jovis, & Cœleſtia tentat (*Hor.*) Quis Virtutem ampleſtitur ipſam, pręmia ſi tollas? [*Iuv.*] Moly radix nigra, flos lacteus (Hom. *Per laborem virtus*). Sua cuique Ars pro viatico eſt.

Vita. V. Vetuſtas.

VIta brevis. Homo bulla. Temporis punctum. Fictilis urna. Arcta periodus. Herba ſolſtitialis (*mox exareſcens*). Ephèmeri vita (*Animalis uno die vitæ periodum abſolventis.* Ariſt.) Salillum animæ (Plau. *Quod facilè liquitur*). Spithama vitæ *palmus*). Dies digitus. Fictilis homo. Vitæ portio breviſſima (*Iuv.*) Peregrinatio vita eſt (*Socr.*) Vitæ ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam (*Hor.*) Heu! quàm dulce malum Mortalibus Vitæ dirus amor! [*Sen.*]

Vita longa. Cornice, Phœnice, Cervo, Tithono, Neſtore vivacior. Totum vivere Neſtorem. Cornicibus omnibus ſuperſtes. Tithoni ſenecta. Ad Tithoni ſenectam provectus, ad annos Neſtoreos. Ultra Tithonum, Neſtorem vivere, Ultra penſum. Seneſcas Tithono profundiùs (*Cic.*) Ultra fuſum vivere [*ultra fatalem diem.* Lucian.] Seribus vivacior [*quos Græcis hiſtorijs proditum 300. annis vivere*]. Tireſià vivacior [*quem fingunt ſex hominum ætates vixiſſe*].

Vitium. V. Delicta.

RUbigo mentis peſſima. Vitiorum deformis ærugo. Fallit enim Vitium ſpecie virtutis, & umbrà [*Iuv.*] Scelere nobilis. Qui ſcelere fieri volunt nobiles (*Plau.*) Nam vitijs nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt, qui minimis urgetur (*Hor.*) Decipit Exemplar vitijs imitabile (*Hor.*) Omne in pręcipiti vitium ſtetit [*Iuv.*] Sed ſtupet hic vitio, & fibris increvit opimis Pingue (*Perſ.*) Hominum fæx turpiſſima, Vitiorum colluvies. Omne flagitij punctum

fert.

fert. Sunt quędam vitiorum elementa (*Iuv.*) Terra malos homines nunc educat, atque pusillos [*Iuv.*] Dum vitant stulti vitia, in contraria currunt: nil medium (*Hor.*) Turpia decipiunt cæcum vitia, aut etiam hæc delectant (*Hor.*) Vitijs fractus, putrescens. Nihil sani, nihil sinceri. Omni se vitio mancipare. Vitam omni intemperantiæ addicere. Animum ad malas artes adiungere. Ætas labefacta descedit. Illotis manibus aliquid aggredi, ingredi.

Vituperatio. V. Infamia, Derisio.

Ultio. V. Ira, Pœna, Minæ.

CAnis vindictam cogitat. Reperit Deus nocentem. Insequitur pede pœna claudo [*Hor.*] Longæ Regum manus. Adrastia, Rhamnusia, Nemesis aderit. Dij laneos pedes habent, ferreas manus. Habet & musca splenem. Inest & formicæ bilis. In te cudetur hæc faba. Malis ter mala. Flagitiorum turpis exitus. Virum improbum vèl mus mordeat. Miseram messem metere. Vèl Capra nocentem mordeat. Vitandæ Potentium offensæ. Vindicta nemo magis gaudet, quàm fœmina. Quippe minuti semper & infirmi est animi, exiguique voluptas Ultio [*Iuv.*] In tauros Libyci fremunt leones: non sunt papilionibus molesti (*Mart.*) Parentare suæ injuriæ noxio sanguine (*Pet. Ar.*) Non sic de nihilo fulminis ira cadit (*Prop.*) Erit tanti criminis illa memor [*Prop.*] Si de tot læsis sua Numina quisq; Deorum vindicet, in pœnas non satis unus eris [*Ov.*] Injuriam acceptam in manibus scribere.

Voluptas. V. Luxus, Cœna, Gula, Bibacitas, Relaxatio.

MAlorum esca (*Plato*). Voluptati, animo, genio obsequi, indulgere, servire. Explere animum. Explere illi animum [*Ter.*] A voluptatibus Principis (*qui studet comminiscendis voluptatibus illius*). Nil nisi turpe juvat: curæ est sua cuique voluptas [*Ov.*] Blanda truces animos fertur mollisse voluptas [*Ov.*] Dulcia non ferimus: succo

renovamur amaro [*Ov.*] Aquæ furtivæ dulciores. Quæ venit ex tuto minùs eſt jucunda voluptas (*Hor.*) Sperne voluptates : nocet empta dolores voluptas (*Hor.*) Muſicè vivere (*delicatè*, *genialiter*). Meridiari, Pergræcari, Pergræcando vitam ducere. Pinguis, nitidus, bene curata cute homo. Epicuri de grege porcus (*Hor.*) Remigium vitiorum. Pinguis ut inde domum poſſim, Phæaxque reverti (Hor. *Phaaces molles*). Mollitijs fluere. Hæc tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes [Hor. *voluptatis prurigo*]. Imbelles Rhodios, unctamque Corinthum [*Iuv.*] Reſinata juventus (Juv. *pice voluptatum illita*). Voluptates commendat rarior uſus [*Iuv.*] Quæ vinci potuit Regia cantibus, hæc vinci poterit Regia viribus (*Sen.*) Amœnare oculos, animum (*oblectare*). Amœnatur animus. Qui voluptatibus intenti, ijdem literaturæ negligentiſſimi. Sybaritarum ritu delicijs indulgere. In diem vivere. Sirenum cantu demulceri. Ad ſirenum ſcopulos conſeneſcere. Adhinnire voluptati, atque luxuriæ. Mileſius ſermo (*voluptarius*). Te mattya ſola juvant (*Mart.*) Amœnus Animus. Circunfluere omnibus lautitijs.

Votum. V. Religio.

QUod licet, minùs deſideratur (*D. Hier.*) Quod licet, ingratum eſt; quod non licet, acriùs urget : Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſq; negata [*Ov.*] Qui ſe non habet, Samum cupit. Laciniâ obtinere aliquid (*rem non integram aſsequi*). Quæcunqne per ſomnium vides [*quidquid optamus*, *ſomniamus*]. Repente tanquam ſomnio beatus (*Cic.*) Hæc eſt ſumma votorum. Nihil eſt, quod malim (*Plau.*) Eblandiri, exculpere aliquid ab aliquo. Multivola eſt mulier (*Catull.*) Omnivoli plurima furta Jovis (*Catull.*) Pro quibus optatis ſacro me carmine damno [Prop. *voveo*]. Omnia ſi veniant, nec te tua vota morentur (*Ov.*) Placet inconceſſa voluptas [*Ov.*] Sic interdictis imminet æger aquis (*Ov.*) Deferat in portus & mea vota ſuos [*Ov.*] Sic habeas faciles in tua vota Deos [*Ov.*] Quidquid ſervatur, cupimus magis, ipſaque furem præda vocat : pauci, quod ſinit alter, amant [*Ov.*] Optat uſque ad

deli-

delicias votorum [*Iuv.*] Ab hac ſcabie tenemus ungues (*Mart.*) Votis ſecurim infligere. Qui cupiet, metuet quoque [*Hor*] Succeſſit. Voti compos. Victor propoſiti. Canis panes ſomnians. Etiam vigilans ſomniat [*qui ſtolida vota facit*]. Credimus? an qui amant, ipſi ſibi ſomnia fingunt? [*Virg.*] Semper ſuperioris anni proventus melior. Imminere, inhiare alicui rei. Concupiſcere aſſam farinam (*deſiderium rei inſuetæ*). Salivam rei alicujus alicui movere [*deſiderium ingenerare*]. Nullo ture litare, ut &c. [*non obtinere*]. Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus [*Hor.*]

Urbanitas.

HOmo urbanioris notæ, antiquæ venuſtatis. Homo aditu, acceſſu, congreſſu, commodus, facilis, opportunus. Vir apricus, commodis moribus, politus, urbanus, feſtivus, concinnus, mundus, elegans, bellus, perliberalis, graphicus, omni lepore affluens, omni vita excultus, omni urbanitate, ſuavitate conditus. Omnium horarum homo. Tam facilis ad illum acceſſus, quàm difficilis ab eodem receſſus. Politiores homines. Homines belli. Alter Cydon. Semper aliquis eſt in Cydonis domo (*viri Corinthij hoſpitalitate inſignes*). Nihil illius ingenio commodius. Facilitate nil meliùs (*Ter.*) Lepos, nitor, ſales, venuſtas, concinnitas, concinnitudo, feſtivitas, Liberalitas. Liberaliter aliquem accipere, effuſo ſinu, obvijs ulnis, luculentis benevolentiæ argumentis, quàm humaniſſimè venientem excipere. Explicito vultu, exporrecta, compta fronte, arridente vultu ſuſcipere. Tanquam heros in clypeo exceptus. Comptè, bellè, feſtivè loqui. Salute decumana, vel de meliore nota, impertire aliquem. Oſculum delibatum digitis ad os ſuum ferre (*Suet.*) Salve baſilicè. Baſilicè ſalvere te jubeo. Χαίρειν te jubeo. Te ſuperi ſoſpitent, ſuperſtitentque. *Contra*. Illiberalitas, Ruſticitas. Frigidè, jejunè, parum liberaliter accipere. &c

Utilitas. V. Commodum proprium.

SErere ne dubites [*Ruſticanum Adagium. Ne pigeat illud moliri, a quo diſpendij parum, compendij multum proficiſcatur*]

Domi

Domi militæque utilis (*semper, & ubique*). Vir frugi domi, militiæque. Homo frugi omnia rectè facit. Res frugi, Frugi ædificium, Atrium frugi, Villa frugi, &c. (h. *usibus apta, non sumptuosa*). Utilitas Justi mater, & Æqui (*Hor.*) Conditio pensior (*utilior*. Plau.) Multum promovere. Multum præsidij, opis, momenti in re aliqua constituere. Successit. Processit pulchrè. Feras, quod lædit, ut quod prodest, referas. Fructum omnem, & gratiam rerum in aliena commoda egerere. Alienam messem metere (*alienis commodis, vel impensis frui*). Quis tibi permisit nostras præcerpere messes? (*Ov.*) Optimum est, aliena frui insania [*ab aliorum erratis vitam in melius instituere*]. Feliciter sapit, qui alieno periculo sapit (*Plau.*)

Contra. Perdere est dignus Bona, qui nescit uti [*Sen.*] Ex multis paleis parum fructus colligere (Prov. Gr. *Ex multo labore parum emolumenti. Ex verboso sermone parum doctrinæ*). Immittere fontibus apros (*suis rebus perniciem parere*). Ad restim funiculum addere (*superflua adijcere*). Aureo hamo piscari [*ubi major impensa, quàm emolumenti spes*]. Boni pastoris est, tondere pecus, non deglubere [*ita rescripsit Tib. Cæs. præsidibus onerandas tributo Provincias suadentibus*]. Cantherius in fossa [*ubi nil valet*]. Inter surculos capra [*quos rodens perdit*]. Ab aula recessit (*de re, vel more jam desueto, & inutili*). Homericus Margites, Ficulnus homo, Ficulna mens [*Lucian. de ineptis hominibus*. V. *Stolidus*.

EPIMETRON

Copia, Multitudo. V. Bona, Malum.

VIs, acervus, cumulus, strues, congeries, silva, seges, messis, moles, acies, agmen, panegyris. &c. e. g. Hominum *vis*, *examen* juvenum, *grex* puerorum, mulierum; longo *examine* matres; familiarium *agmen*, servorum *caterva*; militum, Prædatorum, *globus*, *manus*: comitum, avorum longissimus *ordo*: populi *concio*, *cunei*: longus populi *pulvis*: effusæ *impetus* aulæ; *Euripi*, ac *turbines* reciprocan-

cantis Orcheſtræ: *unda* vulgi: turbæ *fremitus*: Forum *differtum* populo. Ne Sannione quidem domi relicto [*Teren.* h. omnes famuli] *Chiliades*, *Myriades*, *Celebritas*, *Frequentia &c.*

Denſatum Exemplorum *agmen*: aquarum *agmen*, *vis*, *moles*: nummorum *vis*; ſceptrorum *ſtrues*; morborum *cohors*, *nomina*, ſive genera varia; malorum *moles*, *Ilias*, *Panegyris*; laudum, telorum *ſeges*: Amphorarum, calicum *phalanx*, *legio*, *tribus*, *centuria*: muſcarum, culicum *legio*: ranarum *concio*; Apum, formicarum *Senatus*, *Magiſtratus*, *Curia*: facinorum, titulorum *acervi*: Conviciorum, errorum *plauſtra*, *naves*, *carinæ*; vaſorum, veſtium *Syntheſis* [h. varia collectio]. Florum *manipuli*, *centuriæ*: Flores in *manipulos* bellè digeſti, *centuriati*. Arenæ *congeſtus*; Pulveris, Silvæ, Bonorum *Congeries*; Amaltheæ, ſive Copiæ *Cornu*: e.g. Liber aliquis eſt *Copiæ cornu*. Circunfluere omnibus Amaltheæ bonis, lautitijs. Rerum *turba*, &c.

RHETORICI SYNTAGMATIS TELOS.

Elenchus, & Synopſis totius Syntagmatis.

PROTESTATIO AUCTORIS.

Lector, adverte; siquid offenderis in hoc Syntagmate, quod Ethnicum sapiat; cujusmodi sunt Nomina Fatum, Fortunam, Casum, Deosq; fabulosos significantia; hæc, & similia eatenus accipi ab Auctore, in mediumq; afferri, quatenus vel Poetica sunt, vel ita fert usus vetustioris Latinitatis: ceterùm ipsius mentem in omnibus penitus cũ Orthodoxa Fide, & juxt. Dogmata Eccl. Cath. Rom. sentire

---

JOANNES BAPTISTA SPINULA Soc. JESU in Provincia Romana Præpositus Provincialis.

CUm Librum, cui titulus est, *Syntagma Rhetoricum, Auctore P. Josepho Scapecchi nostra Soc.* aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; facultate nobis ad Adm. R. P. N. Michaele Angelo Tamburino Prępofito Generali communicata, concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorũ fidem has literas, manu nostra subscriptas, & sigillo Soc. nostræ munitas dedimus. Romæ 20. Junij 1719.

Joannes Baptista Spinula.

IMPRIMATUR.

Horatius Mazzei Vicarius Generalis.

IMPRIMATUR.

M. Fr. B. Bernardius Vic. Gen. S. Off.

Philippus Bonarota S. R. C. Aud.